192

Ent 83
n° 192

R. 20
5/20

Ø. 28
C. 8

HISTORIA HORTENSIVM QVATVOR OPVSCVLIS METHODICIS CONTEXTA, QVORVM PRIMVM, HORTORVM CVRAM, ORNATVM

& secreta quamplurima ostendit. Secundum, Insitionum artes proponit. Tertium, Auxiliares & medicas Hortensium vtilitates percurrit. Quartum, Iucunda et benefica medicandorum Hortensium olerum, radicum, fructuum, vuarum, vinorum et carnium artificia explicat.

OMNIA AMOENAE VOLVPTATIS ET inenarrabilis vtilitatis abundè plena: rerum variarum accessione nunc primum aucta & illustrata.

AVCTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIENSI, MEDICO.

Accesserunt & alia quæ decimasexta indicat pagina.

Corregido conforme al Indice de 1632

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum sub Monocerote, Anno M. D. LXXVII.

IHS

NOBILI ET ERVDITO VIRO EMONDO DE LAIGE, REGIS IN ſupremo Senatu Pariſienſi Conſiliario, & Cœnobiorum B. Mariæ de Fontenayo, nec non S. Memmij, & de Miſerayo Abbati, ANTON. MIZALDVS Monlucienſis,

S. P. D.

PLVTARCHVS ſcriptor grauis, atque omni iudicio πολιτικῶς elegans, tradit, Clariſſime Senator, idemqúe Abbas erudite, negociatorẽ quendã Chiũ vinum multum, primæq; bonitatis vendidiſſe: ſibiqúe acidum & in vappam deprauatum ſelegiſſe, ac in vſum quotidianum reſeruaſſe. Cuius ſeruus, qui ab eo fortè receſſerat, interrogatus, qua impulſus cauſa dominum reliquiſſet: Quia (reſpondit) cùm in manibus bona quamplurima & præſtantiſſima haberet, mala tamen & deteriora quæq; bonis præferebat. Serui huius apophthegmate planè philoſophico excitatus, ceu quodam claſſico, circumſpectè prouidendum mihi duxi, ne ſimili nota inurerer, ſimilique infamia notarer qua ſordidus iſte negociator ὁ ινοπώλης. Quod ne hîc mihi contingeret, mala ſcilicet, & malos, bonis: indoctos doctis, & ignobiles nobilibus præferendo: precium operæ facturum me putaui, ſi poſthabita ignobilium & popularium fece (ceu vino quodam in

vappam deprauato, & ,vt loquitur Plautus,edentulo & infuscato) te vnum de multis, Vir ornatiss. seligerem in propugnatorem,patronum et susceptorē Hortensis huius historiæ nostræ. Quæ sicuti in tuo nomine foras prodit, & variè aucta ac locupletata, incredibilem, mira cum iucunditate & delectatione, fructum quibusuis pollicetur, ita anxiè à te petit & postulat, vt tibi nuncupatam istam voluntatem, aut, si mauis, voluntariam & propensam nuncupationem hanc boni consulas. Quam vt audentius, ne dicam ardentius,aggrederer,tibiq́ue adscriberem,ad id incendij frigidam, vt aiunt, non mediocriter suffudit, rarus ille animi tui candor, & non vulgaris modestia, qua literarij nominis professores omnes libenter excipis, libentius audis, & libentissimè iuuas. Accedit ad hæc, natale solum, & patria: quæ, vt vtriq́; nostrûm communis est,ita mutuum amorem conciliet oportet. Nec temerè, mea quidem sententia,habetur enim hæc velut parens et mater altera: ob idq́; indigenas omnes, & αὐτόχθονας, ceu fratres, nescio qua inuicem dulcedine vincit, & immemores non sinit esse sui. Quod latētis nescio quid energiæ illa habeat, à Luciano vtcunq́; adumbratū his verbis, τῆς πατρίδος καπνὸς λαμπρότερος ὀφθήσεται τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός. *id est, Patriæ fumus luculentior videtur aliorum igni. Hinc sanè frequens fuit multis admiratio, & iusta aduersum me obiurgatio, quòd te tantum Senatorem,tamq́; illustrem virum, & celebre Borboniorum nostrorum ornamentum,lucubrationum mearum inautoratione & fructu non dignarer, ac parum consultè tacitum relinquerem, meritoq́; honore priuarem. In quo, re vera, culpam meam libenter agnosco &*

accuſo: tantum abeſt vt auertere aut prætexere, vel in rem quampiam illam conuertere ſatagam: niſi quòd verebar laudes tuas, vt cum Horatio loquar, culpa deterere ingenij. Vt vt fuerit, quicquid anteà imprudẽter omiſſum et commiſſum fuit, in poſterũ, ſi diuina fauerint numina, multo cum fœnore reſarcietur. Plura dicere conſtitueram, niſi voluntatem eam & propoſitum mihi inuidiſſet Heliodorus, tradens, longæ orationi comitem plerunque eſſe vanitatem & faſtidium. Fœliciter itaque valebis, Senator inculpatiſſime, idemqúe Abbas vigilantiſſime: Quem & mihi, & patriæ, doctiſqúe omnibus, incolumem ſeruare dignetur ille ſine quo eſt omnis medicina venenum. Lutetiæ, Idibus Auguſti, 1574.

LECTORI PHILOKEPO,

HOC EST, HORTORVM ET Hortensium studioso.

NVNC demum expertus, verissimum esse fateor, Lector amice, quod Euripides scripsit in Tragœdia cui titulus Hippolitus coronatus βροτοῖς αἱ δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι: mortalibus posteriores cogitationes prudétiores melioresq; esse solent. Quod hîc dictum & testatum volui, vt intelligas secundam istam editionem Hortensium Secretorum nostrorum & auxiliorum, emendatiorẽ & auctiorem, rerumq; plurimarũ iucunda varietate conditarum locupletiorem tibi prodire, quã quę ante annos aliquot ex nobis nata foras abijt, & communi omnium vtilitati exposita fuit. Nosti Horatianum illud,

Multa ferunt anni venientes commoda secum.

Et Quintiliani aliud: Multa limat ætas, deterit vsus plurima, & longè plura cõcoquunt anni. Cũ itaq; Typographus mihi opportunè significauisset, distracta vbiq; locorum esse Exemplaria omnia prioris editionis horũ Librorum, proindeq; ad secundam editionẽ se, operasq; suas typographicas accingere, petere, & rogare, nunquid haberem quod in illis vel emendandum, vel illustrandum, aut locupletandum, addendúmue cuperem, maturè id peragerem. Hac significatione, ceu pulsato classico inuitatus, illico ad charta-

ceas

ceas machinulas meas cõuolaui, schedulas & literarios codicillos omnes (in quibus legẽdo, audiendo, & lucubrando, egregium aliquid quotidie adnotare consueui) nulla mora excussi, omniumq́ꝫ maximè Commentariolos nostros Centonum rusticarum rerum diligenter volui ac reuolui. In quibus multa cùm iucunda, tum vtilia, & iuuandæ humanæ vitæ sanequàm idonea reperi, quæ in tuum vsum in his libris pluribus locis remiscui & interseui. Id quod facilè tu ipse agnosces, si vtranq́ꝫ editionem inter legendũ conferre volet. Agedum itaque, carissime Lector, οἷόν φασιν οἱ παίζοντες, ἀμεινόνων ἐξ ἀρχῆς δευτέρων ἐπαναπολήσωμεν, vt est apud Platonem. id est, quemadmodum ludentes dicere consueuerunt, secundis denuo melioribus repetamus, & singula expendamus. Fruere salubriter & iucundè hisce laboribus nostris, tuisq́ꝫ apud Deum precibus conatus nostros, dum meliora tibi meditamur, iuuare perge.

Hesperidum ingentes quorsum miraberis Hortos,
Cùm tot opes vnus Hortulus iste ferat?

SVMMARIVM EORVM QVAE IN SINGVLIS CAPITIBVS HORVM librorum explicantur. Prior numerus folium: posterior caput designabit.

LIBRO I. HAEC INSVNT.

Auxilia

LIBRO II. HAEC SVMMATIM explicantur.

Hortensia olera.

Radices eſculentæ.

Herbacei fructus eſculenti.

Flores & plantæ hortorum odoratæ, & contrà.

LIBRO III. HAEC TRACTANTVR ET EXPLICANTUR.

Arbo-

PLANTARVM ET ARBORVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENtur, Catalogus serie alphabetica.

Poma

Qui plureis plantas & arbores requiret, consulat Alexikepum, seu medicum Hortum nostrum.

OPVSCVLVM DE HORTENSIVM Arborum Insitione, hæc habet.

OPVSCVLVM DENDRANATOMES, SEV SECTIONIS ARBORum in sua membra, summatim hæc proponit.

COM-

COMMENTARIOLVS DE HOMINIS SYMMETRIA HAEC HABET.

FINIS.

Accesseruntad Hortensium Historiam.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS, MEDICI, DE HORTORVM CVLTV, cura, auxilijs & secretis,

LIBER PRIMVS.

Hortorum institutio, & priscus vsus.

CAPVT I.

EPICVRVS ille ocij, vt tradit Plinius, magister, primus hortos instituisse fertur Athenis: nam antea moris non fuerat, in oppidis rura habitare. Sanè apud Priscos Romuli nepotes, hortus nihil aliud fuit, quàm pauperis agellus, & rustici qualiscunque prouentus, victum innocentissimum & frugalissimum porrigens, & mensam sine arte facilem, ac ne longius eundem esset, ilico instructã, leuíque apparatu lautissimam exhibẽs. Qui tum maximè placebat, quod igni non egeret, sumptibúsque macelli parceret, ac merces cùm herbaceas, tum arboreas, oppidatim venales quouis tempore præberet: re semper expedita & ad extemporaneum alimentum præsentissima. Quod Virgilius in Moreto, doctè & eleganter (vt omnia)

Epicurus primus hortorum institutor.

Prisci hortorum commoditas, & vsus.

expreßisse mihi videtur, de Simulo exigui horti cultore rustico, & laboris patientissimo, hunc in modum scribens:

Priscorum hortorum descriptio pulcherrima.

Non illi suspensa focum carnaria iuxta,
Durati sale terga suis, truncique, vacabant:
Hortus erat iunctus casulæ: quem vimina pauca,
Et calamo redimita leui, muniebat arundo:
Exiguus spatio, varijs sed fertilis herbis:
Non illi deërat, quod pauperis exigit vsus:
Interdum locuples à paupere multa petebat.
Nec sumptus erat illud opus, sed regula curæ,
Si quando vacuum casulâ, pluuia ve tenebant,
Festáve lux: si fortè labor cessabat aratri,
Horti opus illud erat, &c.

Deinde subdit,

Horti priscorum prouentus erant populi.

Verùm hic non domini (quis enim contractior illo?)
Sed populi prouentus erat: notisque diebus
Venaleis olorum fasceis portabat in vrbem:
Inde domum ceruice leuis, grauis ære redibat,
Vix vnquam vrbani comitatus merce macelli.
Cæpa rubens, sectique famem domat area porri:
Quæq; trahunt acri vultus nasturtia morsu.

Quomodo ex agris in oppida venerint horti.

Hactenus Maro de prisco & rustico vsu hortorum: qui in oppidis antè habitare non nouerāt, quàm gulæ delitiæ, & ventris prodigia, Epicuro duce, ex agris eò, vt diximus, commigrare illos impulissent. Nam vsqueadeò paulatim illecebrosa inualuit voluptas, vt absque vlla Orphei lyra, vlla Amphionis testudine, arbores, fructus, olera, flores, & rustica alia solatia, (vt Prolegomena in Medicum Hortum nostrum abundè testantur) intra muros, etiam à remotissimis agris, mon-

montibus & ſyluis deduxerit, feceritque vt nequam in domo cenſeretur materfamilias, cui indiligens, & neglectus eſſet hortus. Verumenimuerò reciſa longæ narrationis præfatione, tempeſtiuum eſt vt inſtituti noſtri fores aperiamus, & hortorum ſtructuram, cultum, auxilia ac ſecreta fœliciter aggrediamur, & cuique dilucidè ac breuiter explicemus. Paraſceue ad feriam hortorum narrationẽ.

Quæ vtilitas expectanda ab hortis. Adhæc quis vſus, finis ac ſcopus eſſe debeat culturæ illorum. CAP. II.

ILle vtiliſſimum, ac iucundiſſimum hortum eſt habiturus, qui & colere ſciet, & poterit, ac volet. Neque enim ſcire, aut velle cuiquam ſatis fuerit, ſine ſumptibus quos exigunt opera: nec rurſus faciendi, aut impendendi voluntas profuerit, abſque arte & ſcientia. Quia caput eſt in omni negocio, nouiſſe quid agendum ſit: quemadmodum ex Varroniano Tremellio appoſitè tradit Columella. Qui hæc tria ad manum habuerit, & hortum ſeriò ſibi cõſtruere voluerit, duo illi rurſus ſpectanda erunt: vtilitas nimirum, & voluptas: vtilitas fructum habet comitem: voluptas verò delectationem, &, vt ſcribit Varro, iucunditatem. Erit itaque hortus conſtruendus & colendus imprimis ad vſum vitę neceſſarium. deinde ad ſanitatem, ac vireis, cùm corporis, tum animi, à morbis reficiendas, vt adnotauit Palladius, & ſæculis aliquot ante eum Florentinus, ſcholæ Græcorum geoponicorum doctor eximius: poſtremò ad delectationem ex aſpectu, & iucunditatem ex odoris fragrantia: omniúmque

Qualẽ exigat dominũ & colonum hortus non vulgaris.

Vtilitas & voluptas hortos bene cultos comitantur.

Quis finis ac ſcopus culturæ hortenſium.

quemaximè, vt & domino & colono dapibus mensas exornet inemptis. Quæ omnia, & multò plura, Virgilius longè post Varronem, & sæculis aliquot ante Columellam & Palladium, in suo hortulo elegantissimè hoc Iambico significauit:

Horti cultissimi laudes, fructus & vsus.

Hortus salubreis præbet corpori cibos:
Varióſque cultus ſæpè cultori refert,
Olus suaue, multiplex herbæ genus:
Vuas nitenteis, atque fœtus arborum.
Non desit hortis & voluptas maxima,
Multiſque commixta modis iucunditas.
Flores nitescunt discolore gramine,
Pingúntque terras gemmeis honoribus:
Opaca præbent arbores vmbracula,
Prohibéntque densis feruidum Solem comis:
Aues canoros garrula fundunt sonos,
Et semper aures cantibus mulcent suis.
Oblectat hortus, auocat, paſcit, tenet:
Animóque mœsto demit languores graueis.
Membris vigorem reddit, visus capit:
Refert labori pleniorem gratiam:
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Mira & inexplicabilis horti commoditas.

Hæc sunt quæ docta & melliflua Maronis musa de fructu, vsu & laudibus horti cecinit. Qui vnus si fieri potest, in propinquo esse debet, vt dictorum commodorum particeps fiat dominus, & frequenter ad illum veniat, seque frequétiùs venturum denunciet: nõ enim temerè dici solet, frõtem domini plus prodesse, quàm occipitium. Nam sub hoc metu & olitorem & operas omneis in officio continebit. Vt interim non omittam, quòd eius vestigium hortum, vt postea dicemus, sum-

Cur horti propinqui esse debeát.

ſummè impinguabit, ac multò lætiorem fœcundiorémque reddet.

Modus & ſecretum ædificandæ viuæ ſepis ac validæ, quæ futura ſit horti tutiſsimum & perenne munimentum. CAP. III.

Quoniam extremæ dementiæ cenſetur eſſe, hortum habere ad vnguem exultum, pbè conſitum, & curioſè inſtitutum, ſed qui dies ac noctes pateat tam incurſibus quàm iniurijs deprædantium hominum, & deuaſtantium quadrupedum atque alitum: idcirco de illius munitione & ſepimento omnium primùm hîc ſcribã. Quibus copia ſuppetit, hortos parietibus cingũt ac veſtiunt. Alias macerias luto & lapide circa illos erigunt. Plerique tenuis fortunæ homines paleato vtuntur fimo & limo: aut ſaxa in ordinem congeſta illis coagmentant. Sunt qui foſſis & aggeribus circumdent: quod ſummè vitandum eſt, nam horti humores ita ſubducuntur, niſi fortè locus paluſtris fuerit. Ruſtica turba & plebeia, in ſyluis reciſa ſpineta, vimineta & arundineta pro munimento illis adaptat. Quod Virgilium adnotauiſſe paulò antè docebamus his verbis: Hortũ debere diligẽter claudi & muniri. Variæ hortorum muniones & ſepimenta.

Hortus erat iunctus caſulæ, quem vimina pauca,
Et calamo redimita leui munibat arundo. Virgilius in Moreto.

Verumenimuerò ſepes ad hũc modum inſtituta, fatigabili labore quotannis ferè eſt reparãda: appoſitíſque adminiculis ſubinde religanda, & inſtauranda. Quæ ſi firmis, viuíſque radicibus nitetur, colonum magno tædio, impenſa, & ſudore

Viuæ sepis ac validæ facultas & cómoditas.

Erigédæ viuæ sepis ratio ex Democrito.

Pro paliuro quocaremus albispini semina potestis suppone re.

leuaret. Nā prǽterquàm quòd labi aut euerti nesciret, nisi radicitus effodiatur, etiam ne fulmine quidem nec aquis, nec ferro, nec vētis aut procellis (vti iam dicta munimēta) imò verò ne igni, qui cūcta solet edomare, aboleri quiret. Huius rationem & structuram Democritus in suis Georgicis gręcis, longè ante Columellam & Palladium, facilè & ingeniosè ostendit. Opportuno tēpore (inquit) colligito rubi vastissimi, quem caninum vocant, necnō paliuri semina maturissima: ad hęc oxyacanthę fructus, & cum erui farina & alterius leguminis ex aqua, ad mellis crassamentū omnia macerato: iisq; miscelaneis puteales vel nauticos funes, aut alios vetustate detritos, ac iam ferè putrescentes oblinito, & ita inducito, vt intra illorū fibras & capillamēta, recepta semina seruari possint vsque ad verni tēporis initia. Quo aduentante & blandiēte, vbi sepes futura erit, duos sulcos à se duobus, tribúsue pedibus separatos, sesquipedali altitudine instituе: & prædictos funes cū impressis seminibus leui terra ibi adobrue, &, si opus fuerit, identidem irriga. Ita fiet vt intra mensem, plus minus, tenella sepes surgat ac procedat. Quæ adminiculis adiuuanda erit: quibus inter se per vacua sulcorū spatia, enata coniungētur spineta, futura horti vel agri validissimū munimentum, & aduersus externas iniurias tutissimū propugnaculum. Columella virgeā & ligneā sepem spatio, quod sulcis interiacet, erigēdam pręcipit: quam superscendant vtriusq; sulci sentes, & habeant, priusquam roborentur, in quo sese recipiát, & conquiescant. Alij, vt Diophanes inter Græcos geoponicos celebris, & cum illo plerique alij, vinam sepem hunc in modum erigunt. Virgas rubi crassio-

Ingeniosum muniendi horti secretum.

crassiores in segmenta & particulas proscindunt, easque scrobibus palmari altitudine apertis sedulō obruunt, ac quotidie donec germen erumpat, & frondere conspiciantur, fossione ac rigatione, si tempus inuitet, nutriunt ac refocillant: & ita sepem validam, tutam ac perennem construunt & ædificant. Viuæ sepis ædificandæ alia ratio.

De hortorum situ, aqua, & terra. CAP. IIII.

Horti ab area, stabulis & fœnario, longè siti esse debent, si quidem id fieri potest. Nam palearum puluerem, ceu inimicum, ægrè patiuntur ac sustinent: imò verò ne paleas ipsas, quòd olera lædant: quemadmodum scripsit Florentinus Græcus, in suis georgicæ doctrinæ præceptis & institutionibus. Nam hærendo folia perforant, quæ perforata statim aduruntur. Prosunt tamen radicibus, perinde atque stercus, sed ramulis & folijs nocentissimæ iudicantur: adhæc arborum fœtibus qui lignosi non sunt, omniúmque maximè vitibus, & inter lignosos amygdalis: vt alibi scribemus. Paleę & earum puluis sunt hortis inimicissimæ. Horti positio optima & laudabilis erit, si leniter inclinata planities cursum fluentis aquæ per discreta spatia exceperit. In quam rem si defuerit fons, eius loco aut imprimendus erit puteus, aut, si id nequeas, cisterna, vt vocat, superiori parte cōstruetur: vt illinc aquas conferēte pluuia, hortus per æstiuos ardores excipiat. Hortiquænam positio optima & laudabilis. Quòd si his omnibus facultatibus carueris, hortū tribus vel q̄tuor pedibus altiùs fodies, ad similitudinem pastini, vt loquitur Palladius: nam ita cultus siccitates negliget. In quo id quoq; Secretū pro hortis siticulosis.

obseruabis, vt quem humoris natura non adiuuat, per partes diuidas: & hyeme ad Meridiem, æstate verò ad Septentrionem spatia colenda conuertas. Iam quòd ad hortensem terram attinet, salsa, cane peius & angue vitari debet, perinde atque amara, si Virgilium audire velis.

Salsa terra & amara vitanda

Salsa etenim tellus (inqt) & quæ perhibetur amara,
Frugibus infœlix: ea nec mansuescit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina seruat:
Multáque degenerant succos oblita priores.

Quænam terra sit hortis optima.

Optima itaque hortis ea censetur esse terra, quæ neque æstate valdè resiccatur, neque argillosa est, neque arenosa & aspera, neque hiatibus per æstus obnoxia, vt scripsit Didymus in suis agriculturæ Commentarijs græcis. Nam quæ æstate resiccari solet, sata omnia & implantata perdit, aut eadem tenuia & imbecilla parit: argillosa nimiùm est tenax: arenosa & aspera, contrà: idcirco neque nutrire, neque aquam admittere solet. Terram itaque hortis accommodam deprehendes, si aqua lotam ac dissolutam limum multum habere videbis. In quo si superauerit aquositas, ineptã ac infœcundam iudicato. Si manu ac digitis contrectando valde glutinosam aut tenacem repereris, ac si esset cera, prorsus inutilem cẽseto. Oportebit autem ante omnia elapidatum esse horti solum, vt Plinio placet, adhæc quãminimè rimosum: ne Sol penetrans, plantarum radices exurat. Eligetur itaque optimum ac generosum solũ cui semina cõmittas: vel ob id quòd nutricem, quàm matrem, sæpenumerò conueniat partui indulgentiorem esse. Cæterùm, illud nec dissimilãdum duxi, nec prætereundum, ꝙ hortensis terra quæ flumini-

Terræ hortensis probatio.

Quænã terra laudabilis & generosa dici debeat.

fluminibus, aut perpetuis aquis circundatur, nō semper est laudabilis: nam sata & plantata quædam, aqua facilè senescunt, fructusq; (siue herbacei fuerint illi, siue arborei) insipidos ac humidulos plerunque gignunt. Erit itaque terra illa temperatæ vbertatis, & culturæ facilis, quæ nec madida est valde, nec sitiens: ad hæc, quàm recenter effossam alites quærunt, & maximè corui, fossoris vestigia comitantes. Si improba fuerit, quidam emendari dixerūt, si super tenuem, pinguis iniijciatur, aut gracili aridulæ ve, humida ac præpinguis misceatur. Sed hæc operæ extrema est dementia. Quid enim potest sperare qui talem colit terram? Iuuabitur itaque optimo stercore: de quo nobis nunc demum dicendum.

De hortensium stercore, & stercoratione.

CAP. V.

NON defuerunt apud priscos qui stercorationem hortorum ædibus plerunque vicinorum penitus damnauerint, quòd ea nō modò aërem inficiat, sed etiam hortensia quæuis insuauiora et corruptibilia reddat. Et hac in re maximè laudant Hesiodum, qui in rustico opere sciens omiserit agrorum stercorationem, & hinc salubritati locorum potiùs consuluerit, quàm fertilitati agrorum: sat superq; esse arbitratus, ex lupinorum, fabarū, pisorum, cicerum, & aliorum folijs, caulibus & siliquis tempestiuè subuersis agrum pinguescere, non verò putri ac pestilenti materia imbui: quæ in sata quibus quotidie vescimur, plerunque transire solet noxa irreparabili. Huius opinionem quia nec veteres, nec

Stercoratio à nonnullis priscorum damnata.

Antiqua agrorum stercoratio.

recentiores agricolæ sequuntur, aptam stercorationem vbique commendantes, idcirco de illius natura & vsu hîc pauca scribere constitui: omniúmque primùm monere, quòd proba terra multo stercore non indiget: arida & tenuis copiosissimo: arida tantum (inquit Maro) ne saturare fimo pingui pudeat sola. Quæ verò media est, mediocri lætatur. Addo, quòd sicuti stercus bonũ, terram bonam, meliorem, lætiorémque reddit, (vnde Latinis lætamen dictum) & malam ac vitiosam summè iuuat ac emẽdat: ita prauum modo cõtrario deteriorem facit. Præterea, terra nõ stercorata alget: plurimùm verò stercorata, aduritur. Vnde satius est id sæpè facere, vt tradit Columella, quàm supra modum. Oportet autem plantantem hortulanum, stercus ad radices statim non inijcere, sed primùm tenuem terram illis immittere, deinde stercus, quod rursus terra tegendum erit. Ita enim neque comburentur plantæ, neque stercoraria caliditas ilicò exhalabit. Quod ad præstantiam fimorũ & stercorum attinet, Græcorum geoponici, quibus subscribunt Latinorum plerique, columbinum præstare aiunt, quòd sit multa caliditate præditum, ex quo rarius proijciendum cẽsent, & veluti semen spargendum, vt terram possit fermentare, & nõ aceruatim ponendum, vt solet pecorum stercus, quemadmodum scribit M. Varro. Est etiam volucrum laudatissimum ob acrimoniam, præterquàm palustrium & natantium propter superfluam & excrementitiam humiditatem. Quanquam & hoc postremum alijs remistum vtile esse potest, vt ex Quintiliorum Græcis georgicis testatus est idem Varro. Secunda laus asinino debetur,

Stercorandę terrę modus.

Quomodo inijciendum stercus.

Stercorum præstantia. Columbinum.

Volucrum.

Asininum.

betur, quòd natura fertilissimũ sit, ac minimũ herbarum procreet, omnibúsque plantis summoperè prosit, & olera suauissima ac dulcissima reddat. Tertio loco habetur caprinũ, acerrimum existẽs: quod ouillum sequitur, pinguius tamen: post hoc verò bubulũ: deinde suillum illis multò præstantius, nisi ob multam caliditatem sata perureret, illísque olidum nescio quid conciliaret. Vilissimum omnium & deterrimũ, ex Græcorũ sententia, est equorũ & mulorum, si solùm per se inijciatur: acrioribus tamẽ vtiliter remisce tur. Verumenimuerò illud præ omnibus & olitoribus & colonis summè est obseruandum, ne annuo stercore, si fieri potest, vtantur: nam præterquàm quòd nullius est vtilitatis, bestiolas etiã quamplurimas gignit: triennale valde bonum existimatur: longiori enim tempore quicquid habuit fœtidi ac mali vaporauit: & si quid durum inerat, remolliuit ætas. Vtut fuerit, stercus omnium optimis herbis ac oleribus censetur esse cinis tenuissimus, natura calidus. Nam pulices hortenses, vermes, erucas, limaces, ac animalcula alia stirpes depopulantia, occidit, vel abigit. Prædictorum tamen inopia, in vsum venire poterunt reliqua, ligonibus sæpenumerò transmutata & confusa. Sed hîc te nolim ignorare aquosum hortum maiorem stercoris copiam desiderare, siccum verò minorem. Quòd si nullum stercoris genus suppeteret, sabulosis locis certam inijcere optimũ erit: cretosis verò ac nimium densis, sabulum. Atque ita hortensia non solùm læta excitabuntur, sed etiam pulcherrima euadent, quemadmodum adnotauit Columella Romanorum hortorum cultor diligentiss. & doctissimus.

Caprinum. Ouillum. Bubulum. Suillum.

Equinum.

Recens stercus hortis inutile.

Oleribus stercus optimum cinis tenuissimus.

Quid agendum in stercoris penuria.

Quænam obseruanda in stercorando horto.

mus. Sit hoc Plinij postremum: Quocunque tempore hortum vel agrum stercorare libuerit, valdè curandum est, vt ab occasu æquinoctiali spiret ventus, sitq; Luna decrescens ac sicca. Nam obseruatione tali mirũ in modum augetur vbertas: sicuti post Græcos, adnotauerunt Latinæ rusticationis doctores.

De hortensium satione, & seminibus.
CAP. VI.

Horto multùm conferre iter commodum.

ANtequam de hortensium satione aliquid scribam, iuuat præmonere, multùm conferre horto iter olitori serenti, vel plantanti, aut quiduis aliud facienti, opportunum, & præsentiæ domini accommodum. Qui libentiùs eò commeabit, & acta aut agenda obseruabit, si non reformidet vexationem, eritq; vestigium illius stercoris loco, quemadmodum scripsit M. Cato, rerum agri priscus interpres & ad vnguem factus. His positis ad rem venio. Non sum nescius quosdam præcepisse, hortum vel agrum non esse disseminandum, nisi cùm terra pluuijs permaduerit. Quæ si tempestiuè & opportunè descendant, non improbo. Si, quod nonnunquam euenit, tardè labantur, quantumuis sitienti horto vel agro semen committi poterit, ex Columellæ sententia. Quæ res in quibusdam prouincijs, vbi cœli status talis est, vsurpari solet. Nam quod sicco solo ingestum est, perinde ac si esset domi repositum, non corrumpitur. Atque vbi venit imber multorum dierum sementis vno die surgit. Verum enim verò ab auibus et formicis interim periclitatur: nisi ante sationem ei succurratur illis

Quando seminandus hortus.

auxi-

auxilijs, quæ proximo capite exponemus. Vt vt fuerit, dabitur opera vt hortus vel ager qui verè conseri debet, sub finem autumni ante gelicidia pastinetur. Et qui autumno oleribus aut herbis vestiendus erit æstatis initio conuertatur: vt hybernis frigoribus, vel æstiuis Solibus (de magnis hortis loquor) gleba soluatur: ex Maronis præcepto hunc in modum scribentis,

Hortensis philosophia pulcherrima.

-glebasq; iacenteis

Pulverulenta coquat maturis Solibus æstas.

Ad hæc, vt prauarum herbarum radices necentur. Cúmque sationis appetet tempus, quod vnicuique regioni suum est ac proprium, runcandus erit ac prorsum exherbādus hortus: dein quo dictum est modo, stercorandus. His peractis in areas digeretur: quæ ita informandæ erunt, autore Columella, vt runcantiū manus ad dimidiam latitudinis partem facilè peruenire posint: ne dum herbas inutiles illæ persequuntur, semina pedibus interim proculcet olitor. Verùm summè adnitendum erit, vt sationi serenitas, & temporis clementia succedat. Nam fauente cœlo, tepentibus locis & à Sole illustratis, citissimè prorumpūt ac pullulant semina: quibus ætas etiam nōnihil conferre solet. Quapropter videndū erit, vt scribit M. Varro, ne vetusta, exucta, mista, rugosa, emaciata, lāguida, aut adulterina, vel abortiua fuerint semina: quin potiùs vegeta, plena, recentia ac succulenta. Quæ dum proijcientur, vel serentur, boreales dies ac valde frigidi vitabuntur. Nam in his, terram veluti horridulā & occlusam, semina ægrè recipere ac fouere manifestū est: diebus serenis ac temperatè calidis, contrà. Quod Virgilium georgicæ disciplinæ docto-

Quænam agenda ante sationem hortensium.

Tēporis clementia sationi opportuna.

Frigidis temporibus, nec arandū, nec serendum.

rem

rem eximium sic præcepisse audies:

Nec tibi tam prudens quisquam persuadeat auter,
Tellurem Borea rigidam spirante mouere:
Rura gelu tum claudit hyems: nec semina iacta
Concretam patitur radicem affigere terræ.

Satorum defensio.

Si verò timor fuerit ne frigoribus, pruinis, ardoribúsque perurantur, offendantúrue, paleis cõtegi poterunt: quibus transuersæ virgæ imponentur, & virgis arundines aut sarmenta, ne à ventis rapiátur, vel ab auibus deprædetur, ex Columellæ præcepto. Sunt apud Græcos rerum agri scriptores, qui sementem augescente Luna, à quarta scilicet vsque ad plenam, facere consulant, dum illa sub terra est. Alij securiorem viam excogitantes, sationem præcocem non probant: quare in duo & tria, & quatuor tempora illam partiuntur: futuri temporis incertitudinem hoc modo vitare satagantes: & rusticanum Columellæ adagium in memoriam reuocantes, Serere ne dubites. adhæc Virgilij illud,

Satio quandoque partienda.

Et dubitant homines serere, atq; impendere curam.

quod vnum ad cerealiũ sationem potius detorquerem, quàm hortensium. Oportebit itaque eum qui feriam sationem & plantationem instituit, videre vt proba sint semina, terra apta, stercus bonum, & aqua prompta. Nam semina, quæ inde generabuntur similia efficient: terra apta, sibi credita optimè seruabit ac fœcundabit: stercus succulentiorem reddet terram, adhæc laxiorem, vt aquam facilius admittere posśit, quæ radicibus impertiatur: aqua verò, quasi ex vbere omnia alet ac fouebit.

Superiorum compẽdium breue.

Auxi-

Auxilia & secreta pro hortensibus seminibus, tam ante sationem quàm post: ne ab aliqua cùm interna, tum externa afficiantur iniuria.

CAP. VII.

FRustra sudabit hortensis colonus, & quiuis alius, si sata à bestiolis lædantur, vel ab alitibus depopulentur, aut alia quauis iniuria afficiantur, siue intus illa contingat, siue foris fiat. Quod vt vitare posit, opportunè ad sequentia auxilia & secreta animum conuertet. Si semina terræ mandâdâ succo semperuiui paulò ante sationem madefacta fuerint, ab auibus, formicis, agrestibus muribus, & alijs hortorum prædonibus, non solùm illæsa seruabuntur, sed quæ inde nascentur, etiam præstantiora euadent, de Africani experimento, vt in Grecis rerum agri Commentarijs adnotatum, & à Latinis agriculturæ autoribus repetitū obseruaui. Quod verissimum esse tametsi docuit experientia, tamen quia herbæ huius larga vbiq; non potest esse copia, eius loco fuligine quæ supra focos inhæret, satis omnibus incolumitatem tueri etiam licebit, si collecta pridie quàm satio fiat, seminibus remisceatur: vel aqua macerationis eius semina ipsa conspergantur, vt tota nocte succum trahant, & ebibant, quemadmodum scripsit Columella. [redacted]. Nam quæcunque spectabit, sua præsentia fœcundabit & illæsa custodiet. Addit Plinius esse allium in aruis, alum nuncupatum, quod aduersus improbitatem

Secreta pulcherrima p seruandis in terra seminibus absq; vlla noxa.

Vt sata seruentur incolumia.

Auxilium aduersus mõstra hortensia.

Secretum ne semina ab alitibus depopulẽtur.

tatem alitum semina eruentium ac depopulantium, coctũ (ne posit renasci) vtiliter obijcitur: Hoc quæ deuorauere aues, stupentes manu capiuntur. Africanus ad eam rem modicum frumentum vel hordeum vino incoctum, aut infusum, veratro admiscet, ac foris per areatrũ horti ambitum disseminat, sata quæuis ab auium iniuria hoc modo vindicans. Sed eas mortuas, vel inebriatas, arundini ex pedibus suspendi iubet.

Res mira de cancrorum decocto.

Nec omittit cancrorum fluuiatilium decoctum, quo si semina consperseris, ab alitibus (res mira) nunquam aggredientur: imò verò quæ ex his nascentur, durabunt salua & immunia ab omnibus bestiolarum iniurijs. Sunt qui planta sola decocti huius aspergine, fœlici successu, tantùm perfundant. Quæ res mihi & amicis plus millies fuit probata, sed certa lunari periodo. Nonnulli contusa cyparissi folia, seminibus remiscent, & subactæ ac stercoratæ terræ committunt, & ita ab omni corrosione inde nascentia liberant. Alij cerui, aut elephantis cornu siccum & concisum, vel derasum, aut elimatum, seminibus intermiscent: vel aqua madefactionis illorum spargenda semina imbuunt. Virgilius nitro aqua diluto eadem irroranda, vel amurca tingenda consulit.

Vt semina ab omni corrosione liberentur.

Seminũ medicamenta ex Virgil.

Semina (inquit) vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, at nigra perfundere amurca,
Grandior vt fœtus siliquis fallacibus esset:
Vt quanuis igni exiguo properata maderent.

Græcus Apuleius illa vino conspergit, atque ita minùs ægrotatura existimat. Quæ etiam iuuabuntur aqua & amurca respersa. Sunt Græcæ agricul-

gricultur æ doctores aliquot, à Columella, Plinio & Palladio ꝓbati & laudati, qui cucumeris syluestris radices totã diem & noctem aqua macerant, eamq́ꝫ seminibus, repetita aspergine, suffundunt: & postridie, pallio velata semina illa, terræ committunt: hinc arbitrantes meliora euasura, & à malis omnibus certò eripienda. Idem Apuleius lentem modicam dum seruntur, illis remiscendã censet: nam aduersus ventorũ molestias natura resistit. Vult præterea pro satorũ incolumitate, ante pastinationem & fossionem ranam Rubetam, Græcis Phrynon dictam, noctu circa hortum vel agrum deferri: posteà in fictili vase inclusam, medio horto, vel aruo adobrui: et appetente sationis tempore effodi, ac procul abijci: ne ibi nascentia, amara & insuauia euadant. Sed pulchrum erit huc proferre elegantissimos Columellæ versus, quibus medicamenta seminibus sanè quàm appositè præscribit.

Græcorum & Latinorũ agricolarũ secretum ꝓ seminibus pulcherrimum.

Rubetæ ranæ secretum magnum.

Profuit interdum (ait) medicantem semina, pingui
Palladia sine fruge salis, conspergere amurca:
Innatáve laris nigra satiare fauilla:
Profuit & plantis latices infundere amaros
Marrubij, multóq́ꝫ sedi contingere succo.

Columellæ medicamenta pro seminibus tuendis.

Aegyptiorum Græcorumq́ꝫ agricolarum schola tradit, semina incorrosa & à bestiolis illæsa permanere, quæ Luna semiplena terræ mandata fuerint. Hîc penè præterieram physicum pro seminibus & plantis Democriti experimentum, à Neapolitano Palladio diligenter adnotatũ. Paguros (inquit) seu marinos cancros, vel fluuiales, non pauciores quàm decẽ, in vas aliquod aqua plenum missos, tegito: & sub dio exponito, vt

Democriti physicum experimentum ne a iumentis aut

pecore lædatur sata.

diebus decem insolentur: postea semina quæ voles in terra illæsa permanere, aqua illa ad dies octo perfundito: idque octonis diebus peractis, vt vult Palladius, repetito, donec quæ optaueris solidè adolescant: experimentũ miraberis. Nam ex seminibus illis quæcunque nascentur, non solum à se iumenta & pecora arcebunt, sed etiam bestiolas quasuis. De quibus paulò pòst scribemus, & sparsim de alijs seminum auxilijs, vt se proferet occasio, dicemus.

De hortensium sarritione, runcatione, & rigatione: cum prognostico fertilitatis, vel sterilitatis cuiusque sementis.

CAP. VIII.

Controuersia inter agriculturæ autores de sarritione, & eius modo ac tempore.

PEracta ritè semente, sarritionis sequens debet esse cura, de qua inter autores agriculturæ non admodum conuenit. Nam quidam negant eam quicquam proficere, quòd hortensium radices sarculo detegantur, & plerunque succidantur: atque si frigora incesserint, gelu prorsus enecentur. Ex quo satius esse putant runcatione & expurgatione tempestiuè vti. Pluribus tamen sarriri placet: sed neque eodem modo, neque iisdem temporibus: pro incolarum consuetudine, soli ingenio, & cœli statu. Vtut fuerit, his locis in quibus sarritio desiderabitur, ea non antè aggredietur, quàm hortensia proprias areolas vestire occœperint, & grandiusculum incremẽtum, pro cuiusque natura ac modulo, ritè admiserint. Sarritionem sequetur runcatio: in qua diligẽter cauendum erit, ne germina, tenellós ve partus & flosculos iniurioso tactu aut transitu lædamus, vel

De runcatione, & quid in ea obseruandum.

vel tractemus. Quare illam suscipiemus aut antè, aut vbi defloruerint plantę, vel vbi solidas radices egerint. Ad rigationem venio, quæ Solibus æstiuis, & maximè circa exortũ Caniculæ, summoperè solet prodesse ac probari: hora, inquam, matutina ac vespera, vt vult Plinius: cui subscribit ratio, nimirum ne à Sole inferuescat aqua, & radices adurat. Sed ne tum quidem nimiæ debét esse rigationes, quoniã inebriatis radicibus nocent. Pro quibus haurienda non est aqua putei altissimi, ne nimia frigiditate & cruditate radices percellat. Quòd si alterius præsens non adfuerit facultas, horis aliq̃t antè hauriẽda erit, & sub dio exponẽda, vt tepescat. Verumenimuerò, salsæ omnes aquæ summoperè hîc sunt fugiendæ, præterquàm in raphano, beta, ruta, & cunila: quibus salsa aqua peculiaris medicina solet esse, (vt tradit Plinius) in salsis aquis: quæ alioqui & suauitati & fertilitati conferũt: cæteris dulcium aquarum rigua prosunt. Sed vtilissimè ex his, quæ suauissimæ habẽtur. Minus vtiles esse solét è stagnis haustæ, & quas elices inducunt, quoniam herbarum semina inuehunt: præcipuè tamen imbres plantas alunt, nam illis innascentes bestiolæ necantur. Rigationis modum stirpium ætas temperabit. Nouellæ enim plantæ minus sitiunt: & quæ assueuere, summè rigari desiderant, idque leniter ex clepsydra, vt æqualiter bibant radices, & non immergantur: nam ita animam terræ exhalatione vanescentem retinent. Ergo non vniuersim ingurgitabuntur plantæ, sed quomodo sitient, ita stillabitur aqua, velut ex vbere alens & non inundans. Sed in re pueris & virgunculis notissima, versatũ satis. Iam quòd

Rigationis opportunũ tempus, & qualis debebat esse aqua.

Rigationis modus & formula.

Prognosticō fertilitatis, vel sterilitatis feminum quorumcunque.

attinet ad prognosticon fertilitatis aut sterilitatis feminis cuiusque, tam fati quàm feminandi, hac via procedes ex Zoroastris & veterum Aegyptiorum experimento. Diebus viginti aut triginta ante Caniculæ exortum (qui in hac Gallica cœli inclinatione, ferè contingit circa decimam septimam diem Iulij) in quopiam loco diligenter subacto, de vnoquoque semine legitimo & recenti, probationis gratia, diuisis spatijs ac signatis, paululum feres: & si aëris vrgebit incendium, opportunè rigabis: vt proiectū in aridam commodiùs pullulet, & ante cosmicum dicti syderis exortū, tempestiuè se prodat. Hoc peracto, sedulus obseruabis, exorto Procyone, quodnã è iactis seminibus incolume, vegetum ac illæsum emerserit, & durauerit: atque illud fertile ac fœcundum euasurum prædices: reliquũ verò quod non prodijt, aut vietam, languidámque & flaccidam plantulã emisit, inutile ac sterile futurum tibi suadebis. Nam certo certius est, insanum & æstuans Caniculæ sydus, per illa sua canina incendia, κυνοκαύματα Græcis nuncupata, quædam ex satis lædere, alia verò minimè. Ex quo noxæ, vel beneficij indicium per annum futurum vnicuique sementis generi, sydus natura aridum ac feruens præsenti exitio vel salute nunciabit ac præmittet. Hortensium morbos, sterilitatem & pestes alias tibi proponet cap. 2. lib. 3. sequentis.

Mira syderis Caniculæ vis in sata.

Canicula sydus natura aridum ac feruens.

Auxilia & secreta aduersus hortenses vermes, pulices, erucas, blattas & limaces, tam olera quàm arbores & fructus vitiantes ac erodentes.

CAP. IX.

Nemo

NEmo est qui passim non videat (nisi fortasse talpa fuerit) hortenseis diuitias à varijs bestiolis et animalculis, tā sub terra, quàm suprà, variè infestari, & eam ob rem plerunque ægrotare, atq; nisi auxiliares manus opportunè adfuerint, paulatim tabescendo mori. Nam tanta, támque inexpugnabili acie pestifer ille exitialiū bestiolarum exercitus nonnunquam grassatur & irrūpit, vt nullis admotis machinis, nullo igni, nullo ferro, ab hortis & agris, in quibus semel castrametatus fuerit, abigi possit ac diuelli. Rem itaque olitoribus & colonis gratissimam facturum me cogitaui, si aduersus istam deploratam pestem, classicum (quod dicunt) canerem, & alexipharmaca aliquot, partim mihi, partim amicis meis nota, et à priscis explorata in mediū proferrem. A verbis itaq; ad rem venio. Hortensia à noxijs vermibus, erucis & alijs repurgari scribit Africanus inter Græcorum agricolas summus, si eorū latibula, nidi & conceptacula succensis bubulis stercoribus, secundo vento, fumigentur. Plinius amurcam puram sine sale illis spargit. Et si plantarum radicibus, ob fimi malitiam, inhæserint, diligentissimè sarrit. A pulicibus non lædentur, si naturali auxilio, erucam herbam, vel rutā pluribus locis admiscueris. Quód brasicæ imprimis conuenire certum est, solitæ de omnibus oleribus, à pulicibus summè infestari, cum raphano, quem ostendemus sequenti libro, gentilem ac affinem illi esse. Anatolius in suis Georgicis præceptionibus Græcis, censet nōnihil erui sementi eam in rem addendum. Quod raphanis & rapis prodesse, antiquo experimento constat. Iuuat etiam acre acetum, succo hyoscyami conte-

Hortensia varijs iniurijs obnoxia esse.

Difficilis quandoque hortensium bestiolarum expugnatio.

Auxilia aduersus hortenses vermes.

Aduersus hortenses pulices remedia.

temperatum, & bestiolis illis resperfum. Adhæc aquæ aspergillum, vt tradit Græcus Pamphilus, in qua gith, seu melãthium permaduerit. Verùm si ab alijs etiam animalculis semina lædi, aut vitiari noles, ante sationẽ, sedi aut semperuiui succo, vt priùs adnotauimus, illa imbues, Quæ etiã incorrosa seruabis, si in testudinis operculo seminaueris, quemadmodum idem scripsit Anatolius. Nõ omittam ex Palladio, quòd infesta animalcula non generabunt olera, si in eiusdem testudinis corio, spargenda illorum semina siccaueris: vel mentam locis pluribus, maximè inter caules, conseueris. Quod ad erucas & campas attinet (quæ multis magnum & molestum negotium facessunt, deplorata hortorũ, & vinearum calamitate) nonnulli resperso ficulneo cinere illas persequuntur. Sunt qui in hortis scillam, vel, vt cum vulgo loquar, squillam areatim serãt, aut hinc inde suspendant. Alij fluuiatiles cãcros clauis, pluribus locis affigunt. Si verò obstinatè restiterint, & præscriptis ingenijs cedere nolint, hãc oppones machinam. Vrinam bubulam & amurcam æqualiter mista, igni, donec ferueant, admouebis, & vbi refrixerint, illorum imbre olera ac arbores cõsperges: quod Anatolij est experimentum. Plinius virgis sanguineis quæ his sunt obnoxia tangenda præcipit. Palladius fusticulos, vel, vt Ruellius legit, fasciculos alliaceos sine capitibus, per omne horti spatiũ comburit. Adhæc vespertilionum stercora, vt nidor è fumo pluribus locis excitetur. Quæ res præsentissimum habet miraculum. Easdẽ tradit polyhistor ille Plinius, ab oleribus arceri, si cicer vnà seratur et illis remisceatur: aut cancri ramis arborum à cornibus

Seminum secreta à superioribus diuersa.

Varia aduersus erucas auxilia & secreta.

Auxilium factu & paratu facile contra erucas.

bus locis pluribus suspendantur. Nasci quoque prohibentur, imò verò præsentes collectim perdũtur, ex Græcorum obseruatione, si aliquot de vicino horto sublatas, in aqua cum anetho coxeris, eáque perfrigerata herbas aut arbores resperseris, quæ nidulantes erucas, & ad fœtum incubantes, sustinent. Sed valdè cauendum erit, ne aqua illa faciem, vel manus contingat. Porrò, remedium certum ac paratu facile erit, si circa arborum crura, & brachia, necnon herbarum ramos & caules, bitumen & sulphur incendas. Vel fungos sub nucis arbore nascenteis, fumum dare ibidem cogas: galbanúmve, aut caprarum vngulas, vel ceruinum cornu, à venti flatu auersus, cõburas. Sunt qui cinerem vitigineum per triduum in aquam mittant, qua posteà olera & arbores copiosa aspergine lustrant. Multi in ficulneo lixiuio proijcienda semina præmacerant. De miraculo menstruatæ mulieris, & prodigiosa eam in rem historia à Græcis & Latinis rerũ agri professoribus tantopere celebrata, abundè tractauimus in fine secundi libri nostrorum Naturæ Arcanorum. Cuius desiderio ne tu interim hîc tabesceres, ex Columellæ doctissimis & elegantissimis versibus quicquid id est, paucis expedire visum fuit. De perdendis itaq; & abigendis erucis ad hunc modum in suo scribit Hortulo, ex Democriti sententia:

Mira Græcorum agricolarum solertia in exterminandis erucis.

Aspergillum singulare ad abigendas erucas.

Hanc si nulla valet medicina repellere pestem;
Dardaniæ veniant artes, nudatáq; plantas
Fœmina quæ iustis tum demum operata iuuentæ
Legibus, obscœno manat pudibunda cruore:
Et re soluta sinus, resoluto mœsta capillo,

Menstruatæ mulieris miraculum cõtra erucas.

Ter circum areolas, & septem ducitur horti.
Quæ cùm lustrauit gradiens (mirabile visu)
Non aliter quàm decussa pluit arbore nymbus,
Voluitur ad terram distorto corpore campe.

Hactenus Columella de expiandis & abigendis erucis. Quod equidem præstigiũ referre puduisset, nisi à multis expertum fuisset: scripsissetq́ doctiss. medicus Ioan. Langius illud in Noricorum terris obseruatum & approbatum fuisse. Plinius tradit non solùm hac arte erucas decedere, sed & vermiculos, scarabeósque, & noxia alia animalia. Quod à Metrodoro Sceptio in Cappadocia ob cantharidum multitudinem inuentũesse prodit. Sed cauendum, inquit, ne id oriente Sole faciant mulieres, nam ita aresceret sementis, & florida horti amœnitas pessum iret, elanguente eius nitore & sensim tabescente: vsqueadeò virosa & pestilens vligo illa, visu, nedum attactu, perniciosa esse solet: præsertim si inquinatæ fuerint. Nostrates hortensium coloni, arte admodum facili easdem sic hodie passim expugnãt. Vbi apricis locis illæ post pluuias incesserunt, matutinis horis frutices olerũ, aut ramos arborum succutere solent: sic enim dum adhuc nocturno torpent frigore, facilè decidunt, nec amplius ad superiora perreptant: præbéntque occidenti viam admodum pronam ac præsentem. Cæterùm, si cuiuscunque generis animalcula oleribus & arboribus nocentia perdere voles (quæ Democritus in suis Georgicis prasocurides, Palladius Latino aptóque vocabulo herbicidas, Ruellius verò porricidas nuncupauit) Diophanẽ Grecum ausculta. Ventriculum veruecis (inquit) recenter macta-

Summè notanda & excutienda.

Rusticorum in expugnãdis erucis artificiũ promptum ac facile.

mactati,& suis adhuc sordibus excremētitijs pleni,diligenter tibi comparato: eúmque spatio illo,quo bestiolis scatet hortus,terra leuiter adobruito. Peracto biduo,ibi blattas & animalcula alia gregatim congesta reperies: quæ vel alio deportabis,vel eo loco altissimè defodies,ne resurgant; id cùm bis vel tertiò feceris, genus omne quod nocebat extingues,ac verè perdes. Rustici apud nos paleis intortis arborū truncos armant, & crura coronāt. Qui verò ditiores sunt,carpto bombace, lana, vel cānabinis stupis idem moliuntur: quibus, summa arborum petentes erucæ implicantur,ac veluti obiectis laqueis & compedibus, vel profligantur, vel sicà cœpta via actutum reuocantur. Quod ad limaces particulatim attinet,si vel amurcam recentem, vel ex caminis fuliginem illis resperseris, oleribus non minùs commodabis,quàm si inter illa cicer conseueris, ad hortensium multa portenta, vt superiùs scripsimus,vtile. Alia ex præcedentibus auxilia requires.Et si viridem ac floridum hortum habere voles,illius sulcos,areas,& puluinos fœno græco ex aqua trito diligenter rigabis: aut asini caluariam,non virginis, vt anteà monuimus, in medio illius eriges.Iulius Frōto tradit, olera omnia summè iuuari,si iuxta illa, eruca herba,sata plantatàue fuerit.Sed intoleranda fiet hortensi colono iniuria, si anserum stercus muria solutum,oleribus respergatur, quòd illis summè noceat: quemadmodum Democritus, Fronto & Damageron in selectis Græcę agriculturæ præceptionibus posteritatem admonuerunt.

Rustica erucarū muscipula.

Auxilia aduersus limaces.

Vt hortus fiat floridus.

Quomodo olitori fiat iniuria.

Auxilia & ſecreta aduerſus hortẽſes talpas, formicas, culices, muſcas & ranas, tam olera quàm arbores & fructus euertentes, lædentes ac depopulantes.

CAP. X.

Talpæ cur olitoribus moleſtæ.

QVia talpæ in plerisque hortorum locis tumulando & fodiendo, proindéque terrã ſeminibus onuſtam, vel plantis veſtitam eruendo ac euertendo, olitoribus, iuſta cauſa, moleſtæ ſolent eſſe, ac illis negotium quandoque inexpugnabile facere, idcirco auxiliares machinas aduerſus excæcatam illarum aciem, ex ruſticis Græcorum & Latinorum armarijs, huc proferre & adferre non grauabor. Paxamus, vt hinc auſpicer, nucem, aut vaſculum quodpiam anguſtũ & ſolidum perforari iubet: ibíque paleas & cedriam, vel (vt legit Palladius) ceram, quantum opus fuerit, cum ſulphure includi: omnéſque talparum aditus & ſpiramenta illis diligẽter obſtrui, ne per ea fumus penetret. Ita tamen, vt vnum tantum os, & foramen relinquatur, quod amplum ſit: in cuius oſtiolo, dicta nux aut vaſculum intus accenſum, ſic collocabitur, vt ab vna parte flatum poſſit accipere, qui cedriæ & ſulphuris nidorem in talpæ tumulum diffundat. Eo artificio impletis fumo cuniculis, talpas omnes vel protinus fugere, vel enecare deprehendes. Sunt qui veratrum album aut cynocrambes corticem tuſum, cribratúmque, & cum polenta & ouis miſtum, ac vino & lacte ſubactum, in offas & paſtillos cogunt, ac eos talparum cauernis immittunt.

Ingenioſa Græcorum machina ad talpas expugnandas.

Varia abigẽdarũ aut necandarũ talparum artificia.

tũt. Albertus, allio, cepa, vel porro talpina ostiola claudit: putátque tetri odoris iaculatione talpas intus expirare, vel solum vertere. Plerique ad has abigendas feles in hortis educant, ac mustelas cicurant, vt suo venatu pestem hanc arceant, cuniculorum faucibus ac spiraculis admotę. Alij foramina earundem rubrica & succo cucumeris syluestris implent ac saturant: vel captam vnam cum accenso sulphure in ollam proijciunt putantes eò conuenire alias omneis. Non desunt qui illarum ostiolis laqueos setaceos adhibent. Alia aduersus talpas propugnacula reperies in medica nostra quadrupedum Historia: quo loco de talpis medicè scribimus. Sunt qui Recinum plantam, quæ vulgò Palma Christi nuncupatur, in hortis passim implantent, ad arcendam talparum iniuriam, quod facili paruóque labore explorabis. Rusticis satis est virgam, aut foliaceum sambuci ramũ defixisse. Plinius sola amurca necat. Qui de formicis posteritatis memoriæ hæc etiam mandauit. Sunt arborum pestes (inquit) formicæ: quas plerique abigunt rubrica & pice liquida perunctis caudicibus: necnon & pisce iuxta suspenso, quem Palladius post Græcos geoponicos coracinum, Ruellius graculum nominat: quod Plinius omisit. Nam ita in locum vnũ congregantur, & facilè disperduntur. Alij lupino cum oleo trito, arborum ac plantarum radices, vel (vt legunt nõnulli) caudices illinunt. Plurimi sola amurca necant. Palladius contra illarum agmina hoc monstrat propugnaculum. Si formicæ, inquit, habent in horto foramina, cor noctuę admoueto: si foris veniunt, omne horti spatium cinere, aut cretæ candore vel oleo obsignato.

Talparum fuga & venatio.

Aduersus formicas auxilia varia & propugnacula.

Palladius mõ rus formicarum expugnator.

to. Et paulò pòst: Formicas abiges si origanum & sulphur trita, ad illarum foramina resperseris: aut vacuas coclearum testas cremaueris, & eo cinere myrmecias, formicariáve antra affatim saturaueris. In quo styracem omisit à Paxamo Græco, ex quo hæc transcripsit, additam. Paxami verba sic habent: Si captas formicas in medio horti

Formicarum fuga.

vsseris, reliquas fugabis. Adhæc, si circa formicarias cauernulas cedriam obleueris, non egredientur, expellentúrque de suis sedibus, si cochlearum testacea operimenta cum styrace incenderis, vel contusa per formicarum agmen resperseris. Quod penitus perdetur, si succum cyrenaicum

Vt formicæ arborem nõ ascendãt.

oleo dissolutum affuderis. Addit præterea formicam nec plantas contingere, nec in arbores reptare, si lupinis amaris cum amurca tritis aut coctis, illarum cauliculos vel truncos sedulò obleueris. Idem præstabis, si albam lanam aut stupas, vel bombacem, vt de erucis paulò antè scripsimus, iisdem truncis cauliculisue circundederis: aut creta, vel rubrica, origanòue, assuetas illarum vias circunscripseris: nam sic plantas for-

Formicæ dulciũ escarum appetentes.

micæ non attingunt, sed ne arborem quidem ita vestitam ascendunt. Quin & vas mellarium ita circunscriptum nequaquam ab illis contingi tradunt, etiam si operculo caruerit: licet mellis, dulciúmque escarum admodum sint cupidæ formicæ. Palladius rubrica, butyro & pice liquida mista, arbores ac plantas inungit. Addo quòd si radici arboris vel plantę vaccinum fel illinatur, ibi non accedent formicæ, vt scripsit Rases medicus Arabs. Non desunt ex Græcis qui arborum & vitium truncis densam hæderam alligent: eóque machinamento stabulantes sub eius vmbra formicas,

micas, veluti obsides retinent & mactant. Plerique taurino felle cum amurca & pice idem moliuntur. Sed Plinium repeto, qui ex Sabino Tyro in libro Cepuricôn seu hortensium, quem Mœcenati dicauit, præstantissimum aduersus formicas remedium esse ait, limum marinum, aut cinerem obturandis illarum foraminibus. At omnium efficacissimè heliotropio herba necantur. Quidam aquam diluto latere crudo, eis inimicā putant. Alij alas vespertilionis, ceu præsentissimum amuletum eis opponunt. Verùm de formicis hæc in præsentiarum abundè satis. Culices fugantur aceti & origani decocto, si respergas, quẽadmodum in suis Georgicis adnotauit Democritus. Adhæc rutæ madefactæ aspersione: & sulphuris, aut cumini, aut bubuli stercoris, aut bdellij suffitu, & conizæ decocto. Plinius galbano accenso abigi tradit: & Palladius amurca recente, vel respersâ ex caminis fuligine. Muscas Berytius Græcus hoc flagello procul arcere docuit. Si veratrum (inquit) addito auripigmento cum lacte maceraueris, & illius rore ac imbre locum à muscis obsessum resperseris, omnes vel fugabis, vel perimes. Quod etiam præstabit alumen cum origano & lacte tritum: nam his miscelaneis quęcunque illita fuerint, à muscis non contingentur. Prodest etiam laurus non nigro veratro tusa, & in lacte, aut aqua mulsa macerata: eius enim aspergine, ceu quodam toxico necantur, aut nunquam rediturae, aliò confestim euolant. Aduersus ranas quæ æstiuis noctibus colonis diurno labore fractis, imò verò magnatibus, delicatis & aulicis garrula coaxatione molestæ solent esse, hoc Africani Gręci habeto auxilium & secretum. Ranæ

Autoris miradeligētia in cōquirendis auxilijs aduersus formicas.

Quomodo abigantur culices.

Muscarum fuga & flagellum.

Aspergillū muscas abigens, vel perimens.

Auxilium aduersus ranarum garrulitatem.

uæ tacebunt (inquit) ac vociferari desinent, si lucernam accensam ante illas posueris, aut de arbore ita suspenderis, vt ab eius lumine, ac si Sol esset illustrari possint. Res mihi & alijs multis plus millies experta. Hieronymus Cardanus tradit fel capræ sepultum ranas congregare. Quod hîc postremum erit.

Auxilia & secreta aduersus serpentes hortorũ, & alia quæuis reptilia, tam homines, quã olera, arbores & fructus venenantia. CAP. XI.

Ne serpentes in hortis stabulentur.

Florentinus rerum agri interpres apud Græcos summus & diligens, scribit, serpentes in hortis, aut alibi, nequaquam stabulaturos, si absynthium, aut artemisiam, abrotanúmve per ambitum plantaueris, vel in angulis commodè disposueris. Qui si alicubi versari fuerint assueti, suffitu radicis lilij, aut cornu cerui, vel vngulæ caprinę actutum abigi tradit. Palladius omni austeritate eosdem fugari, nocẽtésque spiritus, graueolentis fumi innocentia exagitari scribit. Democritus mori penitus affirmat, si querna folia super inijciãtur: aut si quis ieiunus in illorum os expuerit. Apuleus arundine semel duntaxat percussos obstupescere contendit: sæpius verò, roborari. Tarentinus Græcæ agricolationis peritus eum à serpente affici posse negat, qui succo raphani oblitus fuerit, aut raphanum ipsum gustauerit, vel secum detulerit. Quod Athenæus & Galenus cum plerisque aliis, malo medico seu citrio ascribunt, & pulcherrima historia confirmant: quam libro tertio per occasionem tibi proferemus

Serpentes quomodo necentur.

Mira raphani natura.

mus ac proponemus. Sed serpenticîdam Florentinum rursus audire molestum non erit. Serpentes, inquit, nunquam accedent vbi cerui adeps iacuerit: aut centaureæ radix, aut gagates lapis, aut aquilæ, vel miluij stercus: fugabitúrque omne reptile si nigellam, pyrethrum, galbanũ, cerui cornu, hyssopum, sulphur, peucedanũ & caprarum vngulas miscueris, deinde trieris & acetum acerrimum fuderis: compositísque horum miscellaneorum sphærulis, fumum ac vaporem excitaueris. Nam diffuso per aërem rerum istarum nidore, reptile quoduis, ac si flagello ageretur, procul fugere vel expirare animaduertes. Quidam prodiderunt punicæ ramum, vt suo dicemus loco, venenata omnia, nedum serpentes, fugare. Quapropter stragulis consultò imponi solet ijs ædibus in quibus versari solent serpentes, & venenosa quæuis animalcula. Quorum agmina in vnum locum, ceu pisces in sagenam aut verriculum, idem Florentinus cogebat, dolio à salsamentis inueterato, & circa hortum, agrũ, aut locum alium serpentibus ac venenatis bestiolis obnoxium, defosso. Nam in id reptile omne confestim accedebat, accedénsque vltrò illabebatur. Plinius de silere loquens hæc tradit, Serpentes & hunc fruticem refugiunt: baculúmque rustici ob id ex eo gerunt & circunferunt. Cæterùm experimento certissimo probatum & confirmatum est, vstis & accensis corijs quæ veteramentorum sunt, serpentes efficaciter fugari: neque eos modò qui in hortis, agris aut domibus oberrãt, sed qui in hominum corpora ingrediuntur, dum per æstatem alto somno oppressi, aperto ore in campestribus obdormiunt. Quod Marcus Gatinaria medicus cele-

Vt locus qui vis sit à serpente tutus.

Ram i punicæ vis magna.

Quomodo cogantur in vnum serpentes.

Pulcherrima historia pro fugãdis serpentibus à corpore.

celebris memorat accidisse cuidam homini suo tempore. Cui cùm frustra adhibita essent innumera medicamenta & præsidia alioquin efficacissima, de omnibus præsentissimum & mirabilissimum fuit veteramentorum fumus & nidor ex infundibulo haustus, & ore exceptus. Nam cũ primum immanis fera (erat enim Vipera prægrãdis) fumi nidorem præsensit, visa est à circunstantibus egredi per anum, magna omnium admiratione & incredibili stupore. Quod hîc scriptum & adnotatum volui, ceu secretum magnum & paratu facile, multisque profuturum. Solet etiam eam in rem lac decoqui, & eius fumus ac nidor ore aperto traijci. Nam vbi serpens illum senserit, actutum per os egreditur, vt lacte fruatur, cuius est appetentissimus. Hîc nõ omittam, quòd serpentes ignem valde oderunt: non solùm quia oculos illorum hebetat, sed quòd natura ignis veneno aduersatur. Oderunt etiam validũ odorem iaculantia, qualia sunt allia & cepæ. Amant sabinam, hederam ac fœniculum: sicuti bufones saluiam (vt in nostris Memorabilium Centurijs ostendimus) & viperæ erucam. Omnium pessimè & infensissimè auersantur ac oderunt fraxinum: adeò vt ne matutinas quidem occidetalésue vmbras eius, quàm sunt longissimæ, attingant, sed procul fugiant. Quin experti prodimus, inquit Plinius, quòd si gyro ex fraxinea fronde claudãtur ignis & serpens, in ignem potiùs quàm fraxinum statim fugiet ille: mira naturæ benignitate, quæ prius quàm serpentes prodeant, sicuti florere fraxinum permittit, ita ante conditos, folia nequaquam deponere sinit. Virgilius omnis eruditionis parens, cedro vel galbano incensis illos per-

Quænã sint serpentibus inimica & amica.

Notãda fraxini & serpentis antipathia.

persequitur & exagitat.

Disce (inquit) & odoratam stabulis incendere cedrũ,
Galbaneóque agitare graues nidore chelydros.

Ferè hîc præterieram quòd filicis folia serpentem non recipiunt, vnde serpentigenis locis filicem seuisse, aut strauisse multis vsui fuit. In his obliuiscendum non est, quod serpentes sambuci flores summè refugiunt. Qui etiam tineas, blattas & erucas perimere traduntur. Addo, quòd si folia filicis comburantur, etiam solo nidore serpentes fugabunt, ac longè sedes mutare cogent. Nescio sanè an hîc etiam adnotare debeam, quod apud Albertum legi, aristolochiam scilicet rotundam cum campestri rana, & scriptorij atramenti parte aliqua diligenter tritam, facere vt serpẽtes ceu mortui illicò subsistant, si ex ijs miscelanijs aliquid scribatur, & corã illis proijciatur. Sed iam tempestiuum est, vt ad remedia demorsorum à serpentibus veniamus, eáque prompta & parata facilia proponamus. Si itaque à serpente quispiam demorsus fuerit, nisi febricitet, bibat succum è folijs fraxini, vino albo generoso exceptũ: si febricitet, solum succum hauriat, folijsque ipsis morsum tegat: miraculum à multis fœliciter esse probatum & expertum demirabitur. Nec temerè, nam certam & abstrusam contra serpentes anthipathiam habet fraxinus: sicut paulò ante ex Plinio ostensum fuit, & nobis alibi adnotatum. [illegible]

[illegible] experti [illegible]
nocens, etiam si percussus [illegible]

De filice & aristolochia contra serpentes.

Remedia aduersus serpentis morsum.

CAP. XII.

H[redacted]

hæc

[redacted]

Auxilia & secreta aduersus scorpiones, bufones, hortenses mures, mustelas, & grandiores bestias, tam olera quam fructus corrumpentes & vastantes.

CAP. XIII.

QVod ad scorpiones attinet, si locum in quo versantur surculo aut ramulo veri helotropij circunscripseris, negat Plinius illos hinc egredi posse. Si verò herba ipsa imponatur, aut respergatur, protinus emori tradit. Idem fieri aiunt tactu radicis herbæ quam scorpioidem dicunt: imò verò à scorpione minimè lædi, qui herbam gestabit. Afri promittunt ad manipulũ ocimi cum cancris decem marinis vel fluuialibus tritum, à proximo omnes cõuenire. [redacted] olent, ad scorpionum fugam & exitium calamum conuertamus. Diophanes in suis de agricultura græcis Commentarijs tradit, cum plerisque alijs, raphanum scorpijs impositum, præsentem mortem illis adferre. Adhæc eum qui raphani succo manus diligenter obleuerit, citra periculum scorpios & venenata quæque posse tractare. Addit prætereà sandaracham cum butyro

Scorpionũ fuga & interitus.

Mirum si verum.

Memorabilia in scorpiones alexipharmaca.

vel adipe caprino suffitã, eosdem & reptile omne abigere: insuper scorpium vnum concrematum reliquos fugare. Quo loco non omittam ex Tarentino Græco, quod qui sideritim, vel scorpioidem herbam tenuerit, scorpios innocenter tractare poterit. Plutarchus ex Zoroastre nucem auellanam lectulorũ pedibus alligat, ne scorpius illos conscendat. De ictorum remedijs hæc à me in præsentiarum habebis. Si quis scorpium à quo fuit percussus, vel alium in oleo coquat, eoque plagam inungat, valdè iuuabitur. Idem continget, si pungentem super locum interimat ac proterat: sed periculosus erit ictus, si quis eo die quo punctus fuit ocinum esitauerit. Florentinus succum fici recentis in plagam efficaciter stillari tradit. Plinius asserit scorpij cinerẽ ex vino potum, si febris absit, summo esse remedio: perinde atque vermium ignitorum puluisculũ, verminantibus hominibus, animalibus, ac alitibus & à rapido cane morsis pilos eiusdẽ vstos ac ꝓpinatos, vt ex eodem boue lora, quod dicũt, sumantur: & venenata sint ipsis venenis remedia. Bufones iisdẽ rebus fugari & necari scribunt græcæ & Latinæ agriculturæ professores, quibus serpẽtes. Quare pro auxilijs aduersus illos, recurres ad xi. caput præcedens. Mures iacta fœmina nullo modo persequi tradit Apuleius, si bubulo felle macerata fuerint ante quàm spargantur. Necabuntur si folijs rhododaphnes illorũ aditus clauseris. Non desunt ex Græcis qui syluestris cucumeris, aut hyoscyami, vel amygdalarum amararum & veratri nigri pares portiones cõtusas polentæ immisceant, ac oleo subigãt, agrestiúmque murium aut domesticorum cauernis & cunicu-lis

Remedia eorum qui à scorpio fuerint icti.

Pulchra & notatu digna.

Auxilia aduersus agrestes mures, necnon domesticos.

lis apponant. Plinius abigi scribit cinere mustelæ aut felis aqua diluto, & seminibus respersо. Verùm, quæ inde nascentur, virus talium animaliũ redolere valde periclitantur: ob id bubulo felle semina imbui & rigi, melius erit. Mustellas vel occides, vel fugabis, vt adnotauit Africanus, si salem ammoniacum & frumentum, seu (vt alij legunt) fermentum commacerаueris: & ad locum vbi frequenter discurrunt, proieceris. Alij, captã vnam, cauda & testiculis amputatis, viuam dimittunt: putántque eo spectaculo & mutilatione reliquas emigraturas: cuius rei facilis experiẽtia, fidem in posterum firmam tibi faciet. De grãdioribus bestiis abigendis hæc paucis accipito. Nunquam fata illæ contingent, si imbre veteris vrinę in qua stercus caninum maduerit, areę hortorum spargantur. Idem futurum promittit Democritus, vt antea docuimus, si fluuiales cancros quàmplurimos, vel marinos non [illegible]ciores quã decem, fictili vasculo cum aqua immiseris [illegible] & sub dio [illegible], vt [illegible] diebus à Sole vaporentur: postea quæcunque illæsa volueris esse, cùm ab aere, tum ab [illegible] aqua ill[illegible] [illegible]is debes perfundere, [illegible] [illegible]. Sunt de prisco illo Africa[illegible] de Græcæ agriculturæ collegio, qui pæoniam [illegible] personatam herbam vren[illegible], vel [illegible] agrum circunferentes, [illegible] & in[illegible] animalia, occulto am[illegible] per[illegible] frondes pastu malefico [illegible]cantur. [illegible] in naturæ historia primus & vltimus, [illegible] sulit, folia fimo boum [illegible] quoties imber [illegible] tur virus medicaminis, mira quædam excogitan-

Auxilia aduersus mustellas, earúdemque expulsio & interitus.

Ne grandiores bestię sata lędant vel contingant.

Africani & Græci agricolæ solertes.

Ne animalia frondes passcant.

te ſolertia humana. Verùm de his plura alibi ſcribenda nobis reſeruamus.

Auxilia & ſecreta aduerſus grandinem, fulmina ac tempeſtates, arborum, plantarúmque, flores & fructus, vti etiam cereris & Bacchi dona, miſerè perdentes.

CAP. XIIII.

Aduerſus ingruenté grādinem auxilia & ſecreta.

DE grandine, quæ plerunque dilapidat hominúmque, boúmque labores, hæc paucis habeto. [redacted]

Mira teſtudinis antipathia cũ nube grandinem parturiente.

tnea-

[redacted] Non defuerunt apud priscos qui eam in rem omne horti vel agri spatium alba vite cingerent: aut noctuam alis patentibus extensam in agro, hortóve suffigerent. Quæ duo etiam ad fulmina grandinem plurimùm comitantia, incomparabilis ille rerum agri doctor Iunius Columella transtulit, ad hunc modum in suo horto loquens:

Vtq; Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon, Auxilia aduersus fulmē ex Columella.
Sæpè suas sedes præcinxit vitibus albis.
Hinc Amythaonius docuit quæ plurima Chiron,
Nocturnas crucibus volucres suspendit: & altis
Culminibus vetuit feralia carmina flere.

Sed hoc loco auxilium quod nostrates præsentissimum habent aduersus tonitrua, fulmina, & nubes grandinem horrendam parturientes, silentio non dissimulabo. quodnam illud, inquies? nolarum & campanarum tinnitus, aut bombardarum aliorúmve pyrobolorum instrumentorum longè latéque reboantes crepitus, vt clamor eat cœlo: quemadmodum in nostris aërijs Ephemeridibus, & populari Astrologia scripsimus. Verùm his plebeculę dimissis, Plinium in explicanda naturæ historia ad miraculū vsque summum, si placet, auscultemus: & ex illo discamus, nō solùm hortos & agros, sed etiam homines & animalia nequaquam à fulmine tangi, quæ tergore fluuialis equi, quem Hippopotamum nūcupant, circunsepta fuerint. Quin & noxiæ non erunt tēpestates, vt Archibius ad Antiochū Syrię regem scripsit, si obserata fictili nouo rubeta, in medio horti vel agri defodiatur. Per cuius ambitū ple-

Populare auxiliū aduersus tonitrua fulmē & grādinem.

Vt horto vel agro noxię nō sint tempestates.

[redacted]
Alij aquilæ pennas, aut vituli [redacted] in medio horti, vel per quatuor eius angulos suspẽdunt. Nam hæc tria, arcana quadam & planè memorabili antipathia fulminibus obsistere, & ab his nullo modo attingi, aut afflari, posteritatis memoriæ mandatum est: & multorum experimentis confirmatum. Vnde Tiberium Cæsarem lauro coronari solitum fuisse, & tẽtoria ex vitulorum marinorum pellibus operta, tonãte cœlo subijsse autor est Sueto. vt à fulmine, quod supra modum metuebat, tutus esset. Iste erit capitis huius colophon: Bulbus non sui corporis exiguitate fulminis impetum euadit, sed aduersam & fulminis ictum retorquentem naturam possidet: quam Græci antipathen vocãt, vt adnotauit Plinius, & nos alibi docuimus.

Laurũ aquilam & vitulum marinũ à fulmine nõ cõtingi.

De rubigine, pruina, carbunculatione, & alijs cœlestibus iniurijs. quæ arborum, frugúmq;, & vinearum flores ac fructus miserè perdũt & abolent. CAP. XV.

POstremum caput hoc summum negotium mihi facit: neque aliam ob rem, quàm quòd cum cœlo & aere, cominus & eminus hîc mihi agendum esse proponat, si de rebus in quibus versatur, seriò philosophari satagam. Quidquid itaque illud est quod hic tractandum sese offert, ad Opusculum transferetur quod paratum habemus. De causis sterilitatis, & præsagijs inopiæ alimentorum, ac status anni cuiusuis progno-

gnosticis. Eam ob rem, paucis quæ sequuntur contentus eris. Si instanti aut suspectæ, vel quouis modo præuisæ pruinæ, carbunculationi, aut rubigini maturæ obuiã ire voles paleas multas si adsunt, aut horti, vel agri euulsas herbas, frutices, & spineta, pluribus locis combures: maximè qua parte ventus spirabit: ita enim impendens malum auerti scripsit Diophanes in suis rerum agri præceptis. Berytius in Græca geoponicôn schola celebris, vbi in aëre id iniuriæ congregari animaduertebat, bouis cornu sinistrũ, cum bubulo stercore ilico incendebat, & fumum multum per horti vel agri ambitum excitabat, ventóque opponebat. Apuleius fumum trium cancrorum vstorum cum bubulo, vel caprino stercore, aut paleis, auxilium præsentissimum esse scripsit. Quòd si anticipauerit rubigo, damnum hoc modo resarcies, vt tradit Berytius. Cucumerum syluestrium, aut colocynthidis radices vel folia contunde, & aqua macera: indéque à rubigine prehensa ante Solis exortum irrora ac resperge. Idem assequeris ficulneo, aut querno cinere, aqua infuso, & quo dictũ est modo, aspersо. Proderit, eodem Apuleio teste, ramos lauri multos per hortum vel agrum defigere vel plantare: nam in illos, sicuti ille plurifariam obseruauit, rubginis noxa omnis transit & abit. Quæ frequentissima solet esse in roscido tractu, conuallibúsque, ac locis perflatum nescientibus. Sed hîc eximium illum hortorum magistrum Iunium Columellam de amolienda rubigine scribentem audire, nec graue nec molestum erit.

Auxilia aduersus instãté rubiginem & pruinam.

Auxilia aduersus rubiginem quæ anticipauit.

Noxá rubiginis in lauros transire.

Hinc mala rubigo (inquit) virides ne torreat herbas, Columella

D 5 Sangui-

de rubigine pellenda.

Sanguine lactentis catuli placatur & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenus fixisse Tages in limite ruris.

Hactenus de rubigine frugibus inimica. Aduersus carbunculum qui vitibus & floribus peculiaris esse solet, Plinius tres cācros viuos cremari iubet, vitibus aut arboribus appensos. Græci contra pruinam (quod antea omiseram) in horto vel agro fabas intus & extra per ambitum serūt. Hæc à me habebis in præsentiarum pro ritè instituēdo horto, & ab iniurijs tam externis quàm internis vindicando ac repurgando, vt læta ibi adolescant sata quæuis & plantata. Quæ nisi à veteribus rerum agri scriptoribus, Afris, Gręcis, & Latinis, ingēti studio, & indefesso labore quæsita, probata & obseruata fuisse intellexissem, manum tabulæ huic, quod dicunt, nunquam admouissem: imò verò, nisi partem bonam cum amicis meis, rerum agri apprimè studiosis, experiundo in rem cōtulissem, ne verbulum quidem hîc adnotare sategissem.

Auxilia aduersus carbunculum & pruinam.

Autoris mirus candor, & modestia rara.

ANTO-

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS, MEDICI, DE HORTORVM CVLTV, cura, auxilijs & ſecretis,

LIBER SECVNDVS.

EXCVRSO vtcũq; inſtituti mei primo curriculo, ſecũdum nunc demũ fœliciter ingredior. In quo cultum, auxilia, & curæ quæ debentur potioribus hortorum oleribus, & ſelectarum plantarum fructibus, tam extra q̃ intra terram educatis, eſculentiſq; radicibus, nec non floribus, & odoratis herbis, breuiter ac dilucidè perſtringere ſatagam, proferamq; ex fœcundiſsimis Africanorum, Græcorum & Latinorum rei ruſticæ profeſſorum theſauris, noſtriſq; & amicorum quotidianis obſeruationibus, hortenſium ſecreta, vitæ humanæ vtiliſsima, & cuique iucundiſsima. Quod vt dictum ita factum agnoſcas, ab ea planta, eóque olere fundamenta mihi pono, quo in hortis, tam vrbanis quàm ruſticis, nihil notius, frequentius, ac familiarius eſſe ſolet. A Lactuca, inquam, quæ priſcis vſqueadeò placuit, & tanta, tamq; ſedula cura exculta fuit, vt ab ea Lactucinos in Valeria familia Romæ appellari, nihil puduerit. Illa, illa eſt, re vera, qua Diuus Auguſtus,

Autoris propoſitum & inſtitutum.

Breuitas perſpicuitati iuncta, autori familiaris.

adno-

adnotante Plinio, in ancipiti ægritudine, prudentia Antonij Musæ medici præstantissimi, seruatus fuit, ex quo statuam collato ęre iuxta signum Aesculapij, Suetonio teste, promeruit. Sed omisso lactucæ encomio, ad rem, si placet, accedamus.

Augustus Imp. lactucá in ægritudine seruatus.

HORTENSIA OLERA.

Lactucæ cultus, auxilia, commoditas, & secreta. CAPVT I.

Vnde dicta lactuca, & quonã gaudeat solo.

LActuca hortensis (de qua hîc potissimùm agimus) dicta est, quòd lactis copia exuberet. Amat solum subactum, pingue, humidum vel irriguum & stercoratũ, quarto aut quinto, vt vult Plinius, à satione die plurimùm erumpens, modò vetus & exuccum nõ fuerit eius semen, & solum infœcundum. Anno toto seri potest, si locum nacta fuerit qualem ei præscripsimus. In latitudinem sese diffundet, si vel rarior pangatur, vel cùm caulem faciet, eo leniter inciso, gleba aut testa prematur, quò minus in scapum erumpat. Nam eo pondusculo velut coërcita, cùm non possit in altum surgere, in latũ perreptare, effundíque cogitur. Autores sunt Florentinus Græcus in suis Georgicis, & post illum Columella: adhæc Plinius & Palladius. Illa eadem candida fiet, si fluminis, vel littoris arena frequẽter spargatur in medium, & collectis folijs alligetur. Quod Plinius dũtaxat illi ascribere videtur, quę seminis est albi: cuius ea est natura, vt hyemem de omnibus maximè perferat. Si vitio loci, temporis aut seminis durescat, vulsa & denuò posita teneri-

Quomodo lata fiat lactuca.

Quomodo candida fiat lactuca, & tenera.

teneritudinem consequetur. Sessilem facies, quæ nec caulem promat, sed cõuolutis folijs in globum extuberet, vel in orbem circumagatur (pomatam nostrates nuncupant) si translatæ radix, vbi in palmi altitudinem adoleuerit, ablaqueata, bubulo fimo recenti oblinatur, & congesto aggere irrigetur: dúmque ad incrementum venerit erumpens germen, ferri acie præscindatur: & ei fictilis testa, nõ picata, imponatur, ne longitudinis sed latitudinis augmentum capessat: vt tradit idem Florentinus, rerum agri apud Græcos interpres ad vnguem factus. Suauiores habebis lactucas, si coërcitis caulibus, restibili pullulatu prodire compuleris. Coërcebis autem ac cohibebis, si cùm iam aliquod incrementum acceperint lactucæ, testulam, vt dictum est, aliúdue pondusculum adhibueris. Odoratas nasci idem pollicetur Florentinus, si illarum semen citrij semini imponatur, & ita terræ committatur. Quã rem etiam præstabit lactucarium semen diebus aliquot in aqua odorata premaceratum. Sed hoc loco mihi peropportunè in mentem venit, memorabile Aristoxeni Cyrenei commẽtum. Is, vt prodit Plinius, à patria desciscẽs philosophia, & helluonum voluptati subscribens, natas in hortis lactucas, vesperi vino mulso rigabat: eóque potu donec satis ebibissent, satiabat: vt postridie cùm illuxisset, placentas virides à terra missas se habere vẽditaret. Dignum Epicureo homine inuentum, nedum philosopho: quo omisso institutum sequamur. Tenerioris folij euadet lactuca, si radix, vt diximus, optimo fimo illinatur, & fluuiali aqua opportunè irrigetur: vel biduo antè quàm vellatur, eius coma illigetur. Si & forma & sa-

Quomodo sessilis fiat lactuca, seu pomata.

Quomodo suauis fiat lactuca.

Quomodo odorata fiat lactuca.

Philosophi helluonis pulchra historia.

Vt fiat lactuca tener. or.

& sapore multiplici varioq́ illam nasci cupiueris, Didymumq́ Græcum audire volueris, id facilè absolues, si caprini, vel ouilli stercoris baccã, seu pilulam aut sphærulam, subula subtiliter excauaueris, & in eam semel lactucæ, nasturtij, ocimi, erucæ, & radicis seu raphani, vt habet Palladius, immiseris: eámque baccam fimo inuolutam, terra optimè culta, breui scrobe demerseris, & substrato molli lætamine, leniter aqua rigaueris. Raphanus enim in radicem nitetur, cætera verò semina in summo prosilient, lactuca pariter emergente, & seruato singulorum sapore. Sunt qui duobus, tribúsue harum pecudum stercoribus contusis, antè dicta semina permiscent, & trito linteolo deligata obruunt, reliquam, vt suprà, adhibentes curam. Plerique Latinorum geoponicorum rem eandem aliter assequuntur. Auulsæ lactucæ folia carpunt quæ radicibus iuncta sunt, & in eisdem gradibus surculo punctis, præter raphanum, vt est apud Palladium, vel apium, vt placet Ruellio, semina supra scripta deponunt, ac fimo linunt: faciúntque vt sic obruta iterum lactuca, inclusorum seminum caulibus ambiatur & collustretur. Inuentæ sunt lactucæ vsqueadeo in latitudinem luxuriãtes, vt ex his olitoria ostiolã facta fuisse, pdant antiqui: adfirmátque Theophrastus, eas nonnullos vsurpasse in hortorum valuas. Si lactucam ad hybernos vsus habere voles, sic illam condientem Columellam auscultabis. Caules lactucæ ab imo depurgatos, eatenus qua tenera folia videntur, in alueolo salire conuenit: diémque vnum & noctem sinere, dum muriam remittant: Deinde muria eluere oportet, & expressos in cratibus pandere,

Quomodo fiat lactuca sapore & forma multiplici.

Aliud artificium pulcherrimum.

Lactucæ pdigiosæ latitudinis.

Lactucæ conditura ad hybernos vsus.

dere, dum resiccescant: tum substernere anethum aridum & fœniculum: dein fasciculos lactucarũ vasis reponere, iúsque superfundere, quod sit aceti duarum partium, atque vnius muriæ: posteà arido spissaméto fœniculi sic comprimere, vt ius supernatet. Quod vt fiat, is qui huic officio præerit, sæpenumero ius diffundere debebit, nec pati sitire salgama: sed extrinsecus munda spógia vasa detergere, & aqua fontana quã recentissima perfrigerare. Hactenus Columella. Plinius lactucas seruari etiam in alienos menses, vel (vt legendum puto) hybernos, oxymelite repertum esse tradit. Erũt hęc pro lactucis in præsentiarum satis. Quarum medica præsidia qui scire volet, vt etiã aliarum hortensium plantarum, & arborum ac fructuum, legat Alexikepum nostrum, hoc est auxiliarem & medicum Hortum: illic inueniet quod placuisse queat.

Columellæ solertia & ingenium mirum.

Brassicæ cultus, auxilia ac secreta.
CAP. II.

TAMetsi Marcus Cato oleribus omnibus brassicam antepofuerit, & Plinius hortorũ principatũ eidem ascripserit, nihilominus de illa secundo loco hîc agemus: quam Latinorum plerique, ab insigni trunco & brachiatis virgis, caulem dixerunt. Huic ea inest natura, vt nullam cæli conditionem respuat: vnde toto anno terræ credi potest. Quam pinguem & bene subactam desiderat, non argillosam, glareosam aut arenosam: nisi fortasse perennis vnda succurrerit. Austro obuersa lætior euadit, Septentrioni, contrà: quanquam & sapore & robore ibidem vincit:

Brassica antiquis celebrata.

Quæ terra brassicis accommoda.

estq;

estq; per gelicidia & pruinas gratior ac tenerior. Cliuis delectatur, & stercore gaudet, sarculatuq; proficit, vt adnotat Palladius. Cùm sex erit foliorum, aut quinque, transferenda est: ita tamen vt radix liquido fimo priùs illinatur. Quod fiet die tepido, si hyems erit: si æstas, cùm Sol ad vesperam inclinabit. Græcorum antiquissimi brassicam in tres tantùm species diuiserunt, crispam, quam selinoidea nuncuparũt, à similitudine foliorum apij. Lean, latis folijs è caule exeuntibus, vnde cauloden quidam vocauerunt. Et eam quæ propriè crambe appellatur, folijs tenuioribus & simplicibus, densissimisq;. Vastior euadet, si terra continenter operiatur. Marcus Varro Nestoris sapientissimi carmina quæ in Alexikepo, hoc est, auxiliari horto, scripta reliquerat, interpretatus, brassicam salsis locis seri iubet cùm triũ foliorum fuerit, nitro aut salsa terra cribro excreta, & illi pruinæ vel niuis cadentis modo respersa: ita ad coquendum habiliorem tradens, virore seruato. Quod in Græcis Paxami Georgicis confirmatum reperio. Sunt qui cinere vtantur nitri loco: ob id quòd erucas, à quibus summè infestatur brassica, perimat. Tradit Columella illam in coctura celerius madescere, & viridem colorem absque nitro seruare, si radix tribus algæ teniolis inuoluta pangatur. Plinius algam duntaxat pediculo subdit, dum trãsfertur: eámque in rem Apiciana vtitur coctura, oleo & sale macerata brassica priusquàm decoquatur: sed dum coquitur parum salis admittit, ob nitrosam & salsam substantiam. Cæterùm & sapore & magnitudine præcipuam reddes, si omnium primùm in pastinato seras, dein si terram fugien-

Quando transferenda brassica.

Tres brassicæ species.

Quomodo fiat vasta brassica.

Quomodo fiat brassica habilis ad coquendum virore seruato.

Quomodo fiat brassica sapore & magnitudine insignis.

tes

tes cauliculos feces, & à terra proceritate luxuriosa attollentes se, exaggerando terram aliam, accumules, ita ne plus quàm cacumen emineat. Sæpius sarrita & stercorata melius conualescit, plenioresque incrementi cauliculum facit & cymam. Toto anno secatur, quia toto, vt diximus, seri potest: semini tamen destinata, secari non debet. Cymosum eius cacumen acetarijs summè probatur, subferuefactum & oleo ac sale suffusum. Plinius, incomparabilis ille rerum naturæ perscrutator, tradit, vasa in quibus aquæ feruēt, induratis crustis intus obsessa, intantùm, vt eas auellere non liceat, brassica in his decocta statim ac facilè abscedere. Tradit insuper Athenæus (vt brassicę miracula aliquot paucis perstringamus) vineas in quibus nascuntur brassicæ, languidius vinū creare: vsqueadeò illis pernicialia sunt cum vitibus odia. Hinc nimirū Theophrastus viuam vitem oleris huius odore fugari rectissimè admonuit. Et Plinius, vinum in dolio sapore huius & odore corrumpi, sed betę folijs demersis restitui. Quo argumento Androcydes, sapientia clarus, vt idem scribit Plinius, brassicā contra ebrietatem maximè pollere dixit. Ex quo factum puto, vt Aegyptij qui vini magnoperè sunt amantes, omnibus esculentis brassicam coctam, in cibatu præmittant, ad inhibēdam vini noxam. Sanè hic non arbitror dissimulādum quòd brassica tantoperè à Catone celebrata, non admodum probatur à plerisque antiquorum: qui pulmentaria damnabant quæ egerent alio pulmentario. Id erat oleo parcere, inquit Plinius. Nam gari desiderium etiam in summa exprobratione erat. Hoc loco ingens & non vulgare naturæ miraculum

Crustæ quomodo abscedant à vasis.

Brassicæ omnia pernicialia cum vite & vino.

Brassica cōtra ebrietatē summè efficax.

lum mihi tacendũ non est, nempe hoc olus quo vitem fugari diximus, cyclamino & origano aduersum, perarescere, naturali & occulto odio, quo plantæ illæ brassicam nõ minùs prosequuntur, quàm vitem brassica, & contrà. Vnde rectè scripsisse mihi videtur Paxamus, ex Græcis geoponicis vnus, quòd si feruescenti & ebullienti brassicæ paulùlum vini quis guttatim instillauerit, nõ amplius coquetur illa, sed suis viribus defuncta, mutato colore corrumpetur. Quibus ex rebus appositè colliges, eos qui vinum multum bibere volũt, & potãdi certamine victores coronari cupiunt, crudam brassicam cibis anteponere debere, ne temulentia tententur. Quod se præsente factum fuisse à quodam docto & philosopho homine testatur Gulielmus Gratarolus medicus præstantissimus, in Opusculo de tuẽda literatorum valetudine. Nam dum is in cõuiuio discumberet, probatis & acceptis inuitantium omnium poculis, perstrenuè potauit, quòd foliolum crudi caulis rubescentis præsumpsisset, ex quo vinum suas vires exerere minùs potuit. Sed philosophantem ea in re M. Catonem, hominum, vt scribit Plinius, summũ in omni vsu, hîc audire pulchrum erit. Si volés, inquit, in conuiuio multùm bibere, cœnaréque libenter, crudam brassicam ante cœnam esto quantum voles ex aceto: & item vbi cœnaueris, esto quinque foliola, reddent te quasi nihil ederis ac biberis: bibésque quantum voles: mirabili oleris huius cum vino antipathia, vt dictum est: & adnotauit Agrius apud M. Varronẽ. Addo ex Paxami græcis georgicis, quòd si brassica viti vicina fuerit, luxuriantes eius palmites potius repandi curuabun-

Vinũ brassicæ cocturam impedire.

Brassica poculis certantes coronare facit.

buntur, quàm recti ad illam propiùs accedant, inteſtinæ diſcordiæ non immemores. Porrò, ſcitu indignum non eſt quod Athenæus commemorat, Athenis olim braſsicam pro cibo parari ſolitam puerperis mulieribus, amuleti cuiuſdã vice. Penè præterieram quod apud Suidam legi, nimirum crambem ſeu braſsicam in ſuis conuiuijs priſcos adhibuiſſe, ſed recoctã, adeò vt nauſeam adferret, abirétque in hoc faſtidij prouerbium, δὶς κράμβη θάνατος. Fit ex cinere braſsicæ aqua diluto, ſal: nã habet nitroſam, vt diximus, ſubſtantiam, cuius beneficio, ſi modicè coquatur, aluum ſumpto iuſculo, vt in Horto noſtro medico ſcribimus, ſoluit. Hoc de multis ſit poſtremum, Semen braſsicæ vetus in raphanum degenerat. Ex quo neſcio an factũ hîc fuerit, quòd antiqua Græcia braſsicam raphanum appellarit, & hunc cum illa confuderit. Autores ſunt cum Ariſtotele, Theophraſtus, Iulius Pollux, & alij. Hæc de braſsica ſatis erunt, vt alijs ſuum demus locum.

Braſsica puerperarum cibus.

Braſsicam cum raphano confudit vetus Græcia.

Apij cultus, auxilia & ſecreta.

CAP. III.

APium hortenſe & ſatiuum, Græcis Selinon, vulgo Petroſelinum, & noſtratibus Perſilium dici conſueuit, perpetua virens fronde, & ex veteri ſemine (ſi Theophraſto credis) celeriter emergens. Nam è recenti, hortenſium omnium tardiſsimè prouenit: nimirum quadrageſimo die è ſatu, & quinquageſimo, maiore ex parte, vt ſcribit Plinius. Sæpius parit, ſemelq; ſatum, pluribus annis reſtibili fertilitate erumpit. Locis tã frigidis quàm calidis, & terra quali volueris,

Apium quo ſemine celeriter emergat.

Quænam

terra apio idonea. vt tradit Palladius, gaudet: dũ modò iugis adsit humor, cuius rigatu facilè animetur, vnde nullũ cœlum & solum respuit. Semine & planta, Columella autore, optimè seritur: & secundum fonteis ac riuulos commodissimè ponitur. Si magnũ & folij latissimi illud habere volueris, & Florentinum Græcum auscultaueris, accipies seminis apij quantum tribus digitis summis prehẽdi potest, & rariore linteolo includes: deinde fimo & terra, breui fossa obrues: hoc faciens, magnum & latum tibi parabis. Nam ita omnium seminum germen, capitis vnius soliditate nectetur, vt scripsit Palladius, & ante eum Columella. Sed longè maximum nascetur, vt tradit Florẽtinus, si radicibus circunfossis, paleas adieceris, ac rigaueris. Crispum fiet si semen in pila ante sationem paulum pulsaueris, exspoliatúmque, vt vult Columella, terræ mandaueris. Aut, si super nascentis areas cylindrum, vel põdera aliqua volutaueris: aut iam natum pedibus proculcaueris. Florentino subscribũt Iunius Columella, Plinius & Palladius. Qui apium mare & fœmina distingui volunt, vt mas folijs constet nigrioribus, & radice breuiori: Fœmina verò crispioribus atq; duris, caule crasso, sapore acri & feruido. Sed neutrum Chrysippus medicus, & Dionysius apud Pliniũ cibis admittendum censent (licet eiusdem Plinij temporibus, vt hodie, per iura largis portionibus innataret, peculiaremq; gratiam condimentis accerseret) quoniam epulis feralibus dicatum sit, & ob id nefastũ habeatur. Vel, vt Plutarchus scribit, quòd apio sepulchra coronentur. Vnde vetus illud prouerbium, Apio indiget: de eo qui profligata & desperata sit valetudine. Caule fœmini-

Quomodo fiat apium folij latissimi.

Quomodo maximum fiat apium.

Quomodo crispum fiat apium.

Apium mas & fœmina.

Cur apium olim cibis interdictum & nefastum habitum.

minini vermiculos innaſci tradunt: credúntque eos in ſexu vtroque ſterileſcere, qui ederint: adhæc, in puerperijs comitiales fieri qui ab eo cibo vbera hauſerint. Innocentiorem tamen eſſe marem affirmant: eáque cauſa eſt, ne inter nefaſtos frutices damnetur. Hæc Plinius, fretus veterum ſententia & teſtimonijs. Quibus ex rebus mirandum non arbitror, ſi recentiores medici ex Auicennæ conſilio epilepticis, apio interdicāt: quòd illorū paroxyſmos & acceſsiones irritet: adhæc, ſi Græci infantulorum nutricibus & grauidis, puerperíſque apium in cibo prohibeant. Quanquam alia etiam ſubeſſe poteſt cauſa, nimirum quòd fœmininos fonticulos impediat, & lactis prouentum extinguat, veſcentesq́ ad libidinem promoueat. Sed in his verſatum ſatis, & fortaſſe plus quàm oportuit: oliuiſcebat enim hæc ferè ad verbum in noſtro Alexikepo & medico horto tranſlata eſſe. Finem itaque ſum facturus huic de apio hiſtoriæ, vbi ſcripſero, coquos ſuis obſonijs acetum, & cellarios vino grauem odorem apio in faccis eximere: quemadmodum adnotauit Plinius vbique magnus.

Comitiales quomodo faciat apiū.

Apio quinā abſtinere debeant.

Betæ, Portulacæ, ac Bliti, cura, auxilia & ſecreta. CAP. IIII.

Beta pauperum menſis familiaris, madidum ſolum & putre expetit. Quæ vbi foliorum quinque fuerit, æſtate differri debet, ſi riguus hortus, vt ſcribit Columella: ſi verò ſiccaneus, autumno, cum pluuiæ inceſſerint. Amat frequenter effodi, & multo ſtercore ſatiari. Cui latitudo maior acceſſetur, vt affirmat Sotion in Græcorū

Betæ ſolum, & quando transferre debeat.

Quomodo fiat beta lata & ampla.

georgicis,* si priusquam in caulem exierit, pondusculũ apponatur lapidis lati, aut testæ, vel rei alterius. Nam eo onere coërcita, in foliorum amplitudinem se diffundet. Eadẽ candidior euadet, si fimo bubulo recenti, eius radices oblinantur. Quæ si in prunis tostæ fuerint, manducati alij tetrum odorem ac virus extinguent, si superedantur, quemadmodum scripsit Græcus Menander. Est hoc mirum in betæ semine, quòd non totum eodem anno gignat: sed aliquid sequẽte, aliquid tertio: celeriusq; proueniat vetere quàm recenti, sicuti rectè adnotauit Plinius. Nec omittendum quòd cùm à brassica vini sapor, vt anteà monuimus, in dolio corrũpatur, odore betæ, folijs demersis reparatur. Addam quòd si acetum subitò fieri voles, tusam betæ radicem in vinũ conijcito per horas treis, in acetum degenerabit. Quod si in pristinum statum redire voles, brassicæ radicem indidisse satis erit.

Quomodo fiat beta candida.

Portulaca quò diligentius colitur, eò latius vagatur, & carnosiore folio constat. Vna est ex hortensibus quæ omniũ ferè iusculis innatat, & pauperũ ac diuitũ mensas oxelæo & sale excepta inchoat, imò verò hyeme primas dapes apud multos, cõdita illustrat. Fieri aũt solet eius conditura hunc in modum. Crassissimi quiq; cauliculi exemptis radicibus leguntur (nam graciles, faciliùs tabescunt madefacti) & aquâ ab arenulis emundantur, decutiturq; sordes si quæ inhæsit: ac tantisper in vmbra siccantur, donec aliquantulum flaccescant: alioqui ob humoris copiam marcidi, aut rancidi euadunt. Posthęc acerbarum vuarum succo (omphaciũ vocant) imbuti, substrato viridis fœniculi spissamento, fictilibus vasis, aut dolio-

Portulaca pauperum ac diuitum mensis familiaris.

Portulacæ conditura optima, & facili methodo expressa

doliolis cōponuntur, & ſufficienti ſale reſperſo, interiectoq́ rurſum fœniculo, vas portulaca impletur: & iterū ſpiſſamento fœniculi contegitur, quod miſcellaneam deprimat. His peractis ius quod eſt temperatum duabus partibus aceti, & vna omphacij infunditur: ita vt ad ſummum fideliæ, aut vaſis labrum perueniat. Ea poſtremò conditura, penore ſiccisſimo, & à Sole auerſo diligenter ſeruatur: ne ſitu loci mucorem contrahat. Quem etiam vitabis ſi portulaca non enatet, ſed ſuo iuſculo ſemper ſit immerſa. Dum vſus exiget, aqua tepida, aut vino exemptum ſalgama eluetur, & ſuperfuſo oleo apponetur menſæ, ad excitandam conuiuarum appetentiam, & reſtringuendum ventriculi, vel iecoris æſtum, ſi quis aderit.

Conditura loco humido repoſitæ mucorē contrahunt & vitiantur.

Blitum duorū eſt generum, rubrum ſeu nigrū, & album: rubro caulis et folia rubeſcunt, vt coccineo colore infecta videantur, etſi temporis tractu purpureſcant, ac tandem nigreſcant: ex quo etiam blitum nigrum quibuſdam dicitur. Albū betaceis conſtat frondibus & folijs, abſque vlla acrimonia fatuis. Vtrunque ex eorum eſt genere quæ in horto celerrimè proueniūt, vt tradit Plinius. Seritur ſolo qualicunque, ſed culto: quod cùm ſemel enatum fuerit, ipſum ſe per multa ſecula ſeminis deiectione reparare ſolet: adeò vt ſi abolere velis, vix posſis. Vnde ſemel ſatū, pluribus annis reſtibili fertilitate prouenit, nec runcari, nec ſarculari flagitans, quemadmodum ſcripſit Palladius. Sed hîc non arbitror tacendum, quòd priſci betam cum blito confuderunt: ex quo eam Martialis fatuam, ſeu inſipidam hoc diſticho appellauit:

Bliti rubri & nigri deſcriptio.

Blitum ſemel ſatum vix aboleri poteſt.

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quàm ſæpè petet vina, piperq́; coquus.

Nam re vera ſapore eſt nitroſo, & non fatuo aut inſipido, vt blitum.

Aſparagorum hortenſium cura, auxilia & ſecreta. CAP. V.

Aſparagi ſolum & ſatio.

ASparagus altilis & ſatiuus, gaudet ſolo pingui, humido & ſubacto. Seritur, vt Didymus tradit in ſuis Græcis georgicis, verno tempore, foſſulis trium digitorum, in quibus bina, ternáve grana, ſemipedis ſpatio diſcreta, ponuntur. Quæ nullo cultu vexari debent anno primo: ſola runcatione, herbarumq́; extirpatione contenta. Sed de aſparagorum ſatione & generatione ſatiùs fuerit audire conſentientes præceptiones M. Catonis, Columellæ, Plinij, ac Palladij.

Vera aſparagorum ſatio antiquis probata.

Semen, inquiunt, quantum tres digiti prehendere poſſunt, pingui & ſtercorata terra, ſingulis ſcrobiculis ad lineā directis, imprimatur & leuiter obruatur. Poſt quadrageſimum diem radiculæ ſic inter ſe implicabuntur, vt in vnitatem coiiſſe videantur: ſpongias priſci olitores nuncuparunt. Si ſicca fuerint loca quibus dicta ſemina cōmittere ſatagis, fimo macerata imis ſulcorum partibus ita erunt diſponenda, ac ſi in alueolis manerent. Contrario fiet modo in vliginoſis: nā in ſummo porcæ dorſo collocanda erunt, ne nimio lædantur humore: qui ſuo tranſitu tantùm rigare debet, & non mora inebriare. Sic conſita ſemina, anno primo aſparagum dabunt: quem infrin-

De locis quibus cōmittenda ſunt aſparagorū ſemina.

infringi oportebit. Si enim ab imo tentes euellere, tenellis adhuc, inualidísque existentibus radiculis, tota spongiola sequetur. Quæ per biennium in suo seminario stercore & assidua runcatione nutrienda est. Reliquis annis non erit decerpendus asparagus, sed radicitùs vellendus: vt suæ germinationis oculos aperiat. Nam nisi ita fiat, stirpes præfractæ, spongiarum oculos augebunt, & quasi excœcabunt, nec patientur asparagum emittere. Illum seruabis de quo sumpturus es semina: posteà scopas eius & scorpiones incendes: deinde circa hyemem spongijs cinerem, ac stercus adijcies, quod M. Cato ouillum esse debere scribit. Est & alter serendi modus per spongias, quas post biennium in apricum & bene stercoratum locum transferri conuenit. Fiunt sulci pedali mensura inter se distantes, nõ amplius dodrantalis altitudinis: in quibus spongiolæ ita deprimuntur, vt facile superposita terra germinẽt. Vere autem priusquam emergere cœperint, bicorni ferramento (quod capreolum vocant) terra commouenda erit, vt stylus faciliùs emicet, & relaxata humo radix plenioris fiat crassitudinis. Idem M. Cato sarriri ac runcari iubet, sed ita ne sarriendo vexentur radices, aut runcando: alioqui infirmæ conculcantur. Cæterùm per hyemẽ teneris stramentis asparagorum syluula operienda erit, ne rigore peruratur. Quæ vere nouo aperietur, & stercore saturabitur, ac exhilarabitur. Didymus in Græcorũ geoponicis tradit, & post illum Plinius, asparagos plurimos nasci tusis agrestium arietum cornibus, vel in particulas sectis, aut derasis, & sulcatim defossis, necnon crebrò irrigatis. Quod licet Dioscoridi non placeat,

Quomodo tractari debeant asparagi.

Quomodo ferẽdi asparagi per spõgias.

Quomodo runcandi & sarriendi asparagi.

Quomodo absq; semine nascantur asparagi.

verissimum nihilominus esse, experiundo fateberis. Non desunt qui longè mirabilius tradant, nimirum quòd integra arietum cornua, nō contusa, nec in particulas secta, si perforentur & pangantur, asparagos producent. Quos si tibi in animo fuerit toto anno edules inuenire, vbi fructū legeris, vt idē scribit Didymus, radices quæ summo cespite vagantur, circunfodiens aperies. Sic enim tractata plantula, nihil cunctabitur nouos cauliculos & asparagos proferre: qui aqua & iure pingui leuiter decocti, saléque & oleo, aut butyro consperfi, addito aceti momento, summa cum voluptate manducabuntur. Sed hoc loco dissimulandum non arbitror, quòd modicam coctionem postulant asparagi: nam diutius percocti, in tabem abeunt. Ex quo Imperator Drusus, celerem rei successum demonstrare volens, dicere solebat, citius fieri quàm asparagi coquantur. His pisciculos in conuiuijs circundare moris fuit veteribus, vt testatur Iuuenalis in hunc scribens modum,

Quomodo toto anno edules inueniantur asparagi.

Asparagos modicam coctionē postulare.

Quæ fertur domino squilla, & quibus vndique septa
Asparagis?

Ad conditurani venio. Cauliculi sale consperfi & in alueis compositi, biduo sub vmbra sinūtur desudare: deinde suo iure proluuntur, modò satis humoris remiserint: si minus, muria lauantur & imposito pondere exprimuntur. Postea in vase, aceti partes duas & vnam muriæ continente, demerguntur: indito fœniculi aridi spissamento, vt & cauliculi deprimi possint, & ius vsque in summum fideliæ labrum peruenire. Hîc non omittam quòd Græci herbarum & fruticum germina ante florem erumpentia, asparagos, nomine

Asparagorū cōditura, & repositio in hyemem.

ne largè sumpto, nuncuparunt: quasi ex incultis virgultis natos: hinc Martialis illud,

Mollis in æquorea quæ creuit spina Rauenna,
Non erit incultis gratior asparagis.

Sed nos de hortensi asparago, vt de plantis reliquis, hîc scribimus.

Rutæ hortensis cura, auxilia, & secreta.
CAP. VI.

ETsi planta hæc ad osculenta olera parum attinere videatur, scribam nihilominus de illa, vel ob id quòd nulli sint hodie horti tam vrbani, quàm agrestes, qui eius fruticem perpetuò virētem, ac grauiter olentem non agnoscant. Itaq; de illius cura & cultu hunc in modum præcipit Columella. Rutam autumno semine satam differre oportet Martio mense in apricum, & cinerem aggerare, runcarique donec conualescat, ne herbis suffocetur. Quod suæ Italiæ, non septentrionali nostræ Galliæ scriptū voluit. Vt vt fuerit, sata semel velata manu, runcari debet: quam nisi contexeris, perniciosa nascentur vlcuscula, quemadmodum post Dioscoridem Plinius adnotauit, si tamen per ignorantiam nuda manu runcaueris, & prurigo atque tumor incesserit, oleo subinde perunges. Id quod de florente syluestri & montana ruta multi intelligendū censent. Loca desiderat altiora, vnde humor elabatur, vt tradit Palladius. Cuius semina si ponas adhuc clausa folliculis, manu debebis singulatim affigere: si iam minuta sunt & exclusa, sparsim iactabis, ac rastro obducta operies. Caules eius qui ex semi-

Cura & cultus rutę hortensis.

Rutæ periculosa runcatio.

Quomodo serēda ruta.

seminibus inclusis emergent, fortiores erunt, sed

Rutæ amicissimus cinis: sed ferro tangi non vult.

serò nascentur. Planta hæc humorem odit ac fimum, solo cincere contenta, éstque hyemis impatiens: quapropter apricis locis & siccaneis seri debet, cupítque per frigora cinere contegi, vt naturali eius colore gelicidijs resistat. Si salsis aquis irroretur, lætior prosiliet, vt scripsit Theophrastus: sed ferro tangenda non est, nisi perniciem illi accersere voles. Seritur non solùm semine, vt diximus, sed etiam surculo, & seipsa. Nam incuruato rami eius cacumine, cùm terram attigerit, statim radicatur. Tota planta translata, plerunque moritur: & ramuli cum aliqua parte corticis reuulsi verno tempore, pro plantis solent consurgere. Annis pluribus frutex iste innoxius perdurat, nisi mulier quæ in menstruis est, illum contigerit, aut excoluerit: nam paulatim arescit, sicuti adnotauit Florentinus, rei rusticæ apud Græcos consultissimus, & post illum Latinæ agriculturæ doctores diligentissimi, Columella, Plinius, & Palladius. Sunt qui pertusæ fabæ, aut perforato bulbo, eius ramulos pangunt, atq; ita adobruunt alieno vigore, succo & odore seruandos ac enutriendos. Alij maledictis inter serendum prosequuntur, maximè in terra soluti lateris: quod cũ Plinio prodesse affirmat Palladius. Sed meliùs & fertiliùs, ijsdem autoribus, furtiua prouenit: ac sub fici arboris vmbra libentiùs acquiescit. Eámque ob rem Theophrastus optimã rutam ac probatissimam putauit, quæ ficulneo cortici defixa, terra obruitur. Quod Plutarchus in Sympofiacis agnouit, hũc in modum scribens: Ruta quæ sub ficu prosilit, aut illi adnascitur, suauior habetur & sapore melior. A quo non longè recessit Dioscori-

Ruta menstruatę mulieris contactũ valde refugit.

Ruta in faba aut bulbo seritur, vt graueolentiam deponat.

Vbinã optima nascatur ruta.

Rutę cũ fico summa amicitia.

scorides, eam cibis commendans, quæ propè arborem fici crescit, & quamcunque aliam ferculis abdicans. Hinc illa nimirum rutæ cum fico sympathia & amicitia à Plinio celebrata: & eiusdem rursum cum cicuta mirabilis antipathia: probabili argumento, quòd rutam colligentes, cicutæ succo manus armant, ne perniciosis vlceribus, vt paulò antè monuimus, ab ea infestentur. Mustela cum serpenti dimicatura in murium venatu, vt idem tradit Plinius, rutam, ceu alexipharmacon quodpiam, priùs edit. Ex quo rutam fascinationis amuletum esse, appositissimè scripsit Aristoteles: falsóque putauit Pytagoras, oculis nocere, vel ob id quòd scalptores & pictores, oculorum causa, in cibo illa fœliciter vtantur, vt docuit Plinius: non omittens, serpentes huius nidore abigi, & procul ab illa stabulari. Hæc postrema sint. Feles ab auiarijs arceri traduntur, pullis gallinaceorum succo rutæ perfusis: aut illa, vt multis placet, vndéquaque armatis. Quod facili experientia probabis: perinde atque id quod Democritus prodit, nimirum culices abigi & ne accedant impediri, si rutæ virentis ramo, eius decoctum per domum sparseris, quod multi etiam ad pulices detorquent: vnde tritum illud Cocta facit ruta de pulicibus loca tuta. Sed & illud memorabile est, quod scribit Arnoldus Villanouanus: Rura, vel chelidonia albo aceto pauco: aut vino, vel rosacea aqua excepta & calefacta, vapidum fumum exhalat, qui si vase vitreo superposito guttatim colligatur, vtilis est ad oculorum morbos. Sed de his fusius in nostro Alexikepo.

Rutę cũ cicuta odiũ & inimicitia: adhæc cum serpente.

Rutam oculis nequaquã nocere.

Quomodo feles ab auiarijs arceantur.

Quomodo culices & pulices abigantur.

Oxa-

Oxalidis ac ſpinaceorum cura, auxilia & ſecreta. CAP. VII.

Oxalis duplex, & vnde dicta.

OXalis ozella Gallis dicta, ab acido ſucco nomen habet: vnde apud multos acetoſa etiam dici ſolet. Duorum eſt generum, maior nimirum & minor. Semen vtriq; idem, pręterquàm quòd maius maiori, minus verò minori ineſt. Rumex ſatiuus Latinis, & Lapathon (nomine à Grecis mutuato) appellari ſolet. Licet multa ſint lapathorum genera & differentię, de quibus hoc loco agere non conſtitui. Tam viuax eſt oxalis vt ſemel ſata nunquam vitietur in terra, maximè iuxta aquas. Huic caulis eſt ſubteres humiliter fruticans, & folia habens in cacumine acuta, ſed minus quàm oxilapathum. Semen rubrum in mucronem acuminatur, & foliaceo veſtitur inuolucro. Planta hęc iuribus affatim innatare, & in acetarijs ſingularem gratiam habere ſolet. Quin & carnibus intingendis iucundum ſucci viridis accrementum ſubminiſtrat: nec aliud in obſonijs maiorem ſibi vendicat autoritatem. Omnes ferè quòd gratum acorem palato repræſentet planta ea, acetoſam, vt diximus, nuncuparunt: quò per æſtatem nihil iucundius, & diuitum ac pauperũ menſis frequentius eſſe conſueuit, ad promouendam appetentiam. Spinacea veteribus incognita fuiſſe demirandum eſt, cùm & pauperum & diuitum menſas adeò onerent, vt etiam verna ieiunia ſaturent. Non ſum neſcius quoſdam illa Chryſolachanon dixiſſe: alios Seutlomalachon, (quaſi dicas maluaceam betam) alios verò atriplicis Hiſpanienſis nomine donaſſe: quàm verè & rectè, iudicent eruditi. Spinacea Latinis dicta pu-

Viuax oxalis & eius deſcriptio ac pictura pulcherrima.

Oxalis vſus & commoditas.

Oxalis omnium menſis familiaris.

Spinacea veteribus incognita.

puto, quòd tam glabræ & mollis herbæ semen in spinas occalescat: quæ nomenclatura postmodum in recentiorem Græciam venit. Planta hæc vernalibus ieiunijs est aptissima: ideoque per Ichthyophagiam seu quadragesimam frequens esse solet. Nullum solum respuit, quocunque loco lætissimè proueniens. Seritur nobis Februario mense & Martio: exítque septem diebus à satu: folio primùm triangulo & molli, mox intubaceo, & plerunque qua hæret pediculo, laciniato: inerti sapore, exigua radice, tenuibus capillamentis fibrata, caule cubitali & nonnunquam altiore, intus cauo, floribus in vertice rotundis & racematim coeuntibus ac semine spinulis horridulo, necnon minacibus aculeis armato. In huius genere fœmina quidem floret, sed semine sterilescit. Olus hoc purgatum & elotum, abiectis radicum capillamentis citra aquam elixari postulat: nam magnam vim humoris inter coquendum effundit: aspernatúrque ius alienum, proprio cõtentum: aliter si coquas, natiuum & genitalem illius succum perdis, ac temerè inebrias. Abacto lentore post elixationem, quibusdam ligneo gladio, aut aliter, percutitur & subinde versatur: posteà in manuales globos & sphærulas herbaceas (expressa penitus sanie) redigitur, & patinis in oleo optimo vel butyro frigitur, addito omphacio & piperis tusi momento, vt magis palatũ titillet. Sed hîc olitorem, non coquum agimus.

Spinacea vnde nuncupata.

Spinaceorũ cura, cultus, satio, & historia.

Spinaceorũ pręparatio & conditura.

Summè notanda delitatulis.

RADICES ESCVLENTAE.

Porri cura, auxilia & secreta.

CAP. VIII.

Radi-

Porri satio & locus.

RAdices hortorum esculentas descripturus, porrum imprimis expediam: quod seri debet loco læto, & maximè campestri, vt scripsit Palladius: adhæc area plana, altè pastinata, diu subacta, & ritè stercorata.

Genera duo porrorum.

Huius genera duo signauit antiquitas: capitatum, quod in caput, vt cepa, extuberat: & sectiuum, longum ac rectum: cui frondens coma solo tenus amputari solet, vn de nomen.

Sectiuũ porrum quomodo fiat, & excolatur.

Postremum qui comparare volet, post duos menses quàm satum est illud in sua area secare debet. Durabit autem, Columella autore diutiùs, multóque melius euadet, si transferatur: & quoties secabitur, aqua iuuetur ac stercore. Verùm vsus docuit, sicuti ille idem scribit, vt translatum, eodem more quo capitatum, modicis spatijs, hoc est, inter quaternos digitos, depangatur, & vbi conualuerit, desecetur. Rigari autem & stercorari, ac sarriri toties debet, quoties demetitur: éstque sarculandus sæpenumerò locus vbi alitur, adhæc herbis extricandus.

Capitatum porrũ quomodo fiat.

Si capitatum facere voles, antequam translatum deponas, diligenter tibi erit obseruandum, vt radiculas omneis amputes, & fibrarum parteis summas detondeas: deinde testulas, vel conchas, quasi sedes singulis subiectas, supponas, & ita obruas, vt fiant latioris incrementi capita: quo statu Sotion Græcus rigari prohibet.

Modus alter vt fiat porrũ capitatum.

Palladius post Plinium, vbi porrum digiti crassitudinem est adeptum, præcisis folijs à media parte, & truncatis radiculis, ne delumbatæ alant & distrahant, tum demum transfert, ac fimo liquido oblitum, quaternis vel quinis digitis separat: atque vbi radices egerit, modicè comprehensum, sarculo alleuat: vt suspensum à terra, quod spatij vacuum

subter

ſubter inuenerit, capitis vaſtitate cogatur implere. Et, vt paucis rem iſtam cõcludam, ſi ſectiuum voles habere, ſpiſſiùs ſeres: ſi capitatum, rariùs: aſſiduáque ſarritione exhilarabis, ac liquido ſtercore ſaturabis. Fiet autem incrementũ multò maius, vt poſt Columellam ſcripſit Palladius, imò verò ante vtrunque Græcus Sotion, ſi raris linteolis, aut detritis panniculis, complura grana immiſeris, deinde ſtercore ac terra obrueris, ſtatimque rigaueris. Totus enim ſeminum vnitus aceruus, in magnum a prodigioſum porrum euadet. Quod etiam in alijs plantarum ſeminibus experiri poteris. Res eadem continget, ſi porraceo capiti ſemen rapi, abſque ferro immittas, & ita pangas: nam ſic multùm fertur increſcere, de Græcorum & Palladij ſententia. Non deſunt, qui dum transfertur, eius capiti, ligneo ſtylo vel arundine aut aliter citra ferrum puncto & aperto, cucurbitæ ſemen, loco rapi, intrudant. Alij ſemina, quãta capi poſſunt tribus digitis, fimo oblita & prætenui calamo clauſa, terræ committunt. Quæ res ſuperioribus planè conſentit. Laudat, probátque idem Sotion Græcus, ſtatim atque ſatum fuerit porrum, puluinos arearum eius, & ſulcos pedibus proculcari: triduúmque, ac ſi negligeretur, minimè rigari: quarto verò die, aquæ aſpergine iuuari. nam ita perbellè adoleſcere tradit. Cæterùm, ſi inter ſerendum aut plantandum, arenam terræ miſcueris, pleniſſimum habebis ac vberrimum. Addit ille idem Sotion, quòd qui cuminũ prægustauerit, fœdum porri odorem nunquam expirabit, etiam ſi larga manu porrum manducauerit: nam eius eſu, grauis halitus extinguitur. Vnum hîc reſtat, ex Petro Creſcentio cognoſcen-

Quomodo fiat magnũ & prodigioſum porrũ.

Modi varij vt porrum excreſcat in caput.

Porri cultura ex Sotione Græco.

Porri comesti odor quomodo vitetur.

F dum,

dum, nimirum quòd semen porri in vinum proiectum, efficit ne vinum acescat: imò verò vt acetum in vinum redeat, hoc est, acorem omnem exuat. Facilis est experientia, quæ his finem faciet, vbi monuero porrum duodeuigesimo die à satu plerunque prodire, & bimatum duntaxat perferre: ab eo tempore sementescere ac emori.

Semen porri efficere ne vinum acescat.

Allij cura, auxilia, & secreta.
CAP. IX.

ALlium inter ruris pulmentaria celebratum, terra gaudet maximè alba, fossa & subacta sine stercore. Cuius cohærentium spicarum diuortia liratim seri debent, arearum puluinis impacta, quo minus aquis infestentur. Liras autem similes porcis facies, quas in agris rustici concinnant, vt vitent vliginem: sed multò minores esse debent. In quarum dorso nuclei palmari spatio distantes, non altè depangentur, nec castellatim, vt multi faciũt, grumulis imponentur. Qui cũ terras fibras, seu folia tria emiserint, sarriri debent: nam grandescunt, quo sæpius id factum fuerit, maiúsque incrementum accipiunt. Plinius semine etiã prouenire scribit, sed tardè. Primo enim anno porri crassitudine caput efficitur: sequenti diuiditur: tertio consummatur: pulchriusq; tale existimant quidam. Si vastum & capitatum facere voles, antequàm vllum emittat cauliculum, viridem omnem eius comam intorquebis, ac humi prosternes. Palladius, scapũ, vbi prodire cœperit, in terram depressum obruit: atq; ita cauet ne in frondem luxuriet: deinde proculcat, vt succus ad spicas reuertatur, & vastum caput faciat. Quod

Quando sariendum allium.

Semine allia tarde prouenire.

Quomodo fiat vastum & capitatum allium.

Quod vnum etiam Plinius prior adnotauit. Sotion in rusticis Græcorum obseruationibus, ad hæc Palladius & aliquot alij tradunt, quòd si allia terræ committantur, & ex eadem eruantur, Luna sub horizonte latente, virus odoris exuẽt, & mandentium halitum nullo modo vitiabunt. Quod paulò aliter Plinius interpretatur: tradens allia in eam rem seri debere. cùm Luna sub terra fuerit: & colligi, dum Soli coniungitur. Pollicetur ille idem Græcus Sotion, allia dulcescere, si in plantando oliuarum nuclei illis commisceantur & conserantur: aut fractæ leniter spicæ, terrę tradantur: vel in pangendo, olearum fraces adhibeantur. Prodit & Didymus adnotante Ruellio, vel potius Sotion, vt meus habet Gręcus codex, tędium halitus à manducatis alliis conciliatum, aboleri, si cruda faba illis superedatur. Alij, betæ radicem in prunis tostam supermanducasse, satis supérque esse putant: eo siquidem remedio virus mentiri & tegi, Menãder è Græcis apud Plinium pollicetur. Nostrates apio viridi fastidium illud deponũt. Antiquorum plerique promittunt, allia diutissimè duratura, & vsui meliora futura, si vel paleis condãtur, aut fumo suspensa exponantur. Sunt qui illorũ capita aqua salsa tepida pauli sper intingant, siccent, & ita recondant. Sed hoc & illo modo, in satu plerunque sterilia euadunt. Aliis satis est super prunas siccasse, ne germinent. Plinius sapores austerioris illa esse tradit, quæ plures habuerint nucleos: additque nullam odoris fœditatem coctis inesse, perinde etiam atque cepis. Nec omittit pręsumẽda esse allia albũ elleborum effossuris, nisi periclitari velint. Est alliũ syluestre, quod ophioscorodon Græci nuncupant

Quomodo allia virus odoris deponant.

Quomodo dulcescant allia.

Quomodo tædium à manducatis alliis conciliatum citò aboletur.

Quomodo allia diutissime seruentur.

Allia saporis austerioris.

Lac allia redolens cũ suis caseis.

Lac allia redolens cum suis caseis.

pant in aruis sponte nascens, quo pecudum lac, quæ comam eius depastæ fuerint, allia subolet: Quid, inquam, lac? imò verò casei qui ex eo coaluerint, odoris grauitatem illam præ se ferunt, rura allium agreste & serpentinum vocant. Quod decoctum, ne renasci possit, aduersus improbitatem alitum semina depascentium, tutò projci libro superiore admonuimus, scribentes à Plinio alum appellari. Sed mirabile quippiam occurrit hoc loco non tacendum: nimirum quòd mustelæ & sciuri tentato allio dentibus, vix audent in posterum mordere, cicurésque hoc modo fiunt. Est & illud memorabilius & multò mirabilius quod Volateranus prodit, suo tempore inuentum fuisse rusticum ore aperto in agris per messes & fœnisecia dormientem: qui cùm serpentem per hiantes fauces imprudenter admisisset: sese statim commanducatis allijs, ceu præsenti amuleto, curauit. Virus tamen ac mortem, vxori (res mira) in coitu stillauit ac trāsfudit. Sed hoc etiam in allio memorabile est, quòd si cum salsugine coquatur, curculiones leguminum efficaciter interimit, modò horreorum parietes & pauimenta his miscellaneis imbuantur. Hîc etiam mihi silentio dissimulanda non est celebris illa magnetis & allij discordia, quam Græci antipathiam nuncupant, sicuti alibi docuimus, ostendimúsque tantùm inter has res surdas & sensu carentes odium inesse, vt magnes ferrum negligat, nedum alliciat, si allio confricetur: quemadmodum Plutarchus adnotauit, & post illum Claudius Ptolemæus.. Quæ res, cum sępenumerò & mihi, & amicis meis aliter probata & explorata fuisset, eò me duxit, vt facilè crediderim viros illos eximios,

Mirabilis historia & summè notanda.

Allij cū magnete celebris discordia.

& in

& in primis Ptolemæũ nequaquam de communi opinione id dixisse, quin potius de suo Aegyptiaco allio rem eam intellexisse. Quod Dioscorides paruum esse scripsit, adhæc dulci, singularique capite ad purpuram vergente. Non desunt qui id ophioscorodo tribuant, quod Antonius Microphonius Biturix, amicus noster, qui rerũ experimenta diligenter persequitur, se probauisse nuper ad me scripsit. Illud postremum esto, allia arborum ramis appensa, accedẽtes ad fructuum deprędationem auiculas longè arcere solent, vt in Græcorum georgicis à Democrito adnotatum legi. Summè notãda & animaduertenda.

Ceparum cura, auxilia, & secreta. CAP. X.

CEpas corpus habere pluribus cartilagineis tunicis compactum, & reuolutum, nemo est qui ignoret. Veteres rustici, vt testatur Columella, vniones nuncuparunt: quia vno & singulari constant capite, multis, vt allium, bulbis nequaquam coagmentato. Quod nomen apud nostrates Gallos, velut triuiale hactenus vsurpatur. Cepæ cur vniones vocentur. Terram desiderant pinguem, vt scribit Palladius vehementer subactam, irriguam & stercoratam, necnon rubram, vt Sotioni Græco geoponico placet. Quæ terra serẽdis cepis accõmoda. Quæ prius proscindi debet, vt hyemis frigoribus & gelicidijs putrescat, sicuti tradit Columella: deinde stercorari, & mox bidentibus æqualiter perfodi, ac in areas disponi, omnibus herbis euulsis, & earum radicibus deletis. Quo facto, Martio mense, placido & sereno die, austro vel euro flante, semina ritè sparzentur: satureia Quo tẽpore & quomodo seri debeant cepæ.

illis intermista, vt vult Plinius, quoniam sic melius proueniunt. Sotion Græcus admonet eum qui cepas plātaturus est, caudas & extremitates, fibrásque omneis, & comam omnem auferre debere, vt magnæ & capitatæ euadant. Alij folia tantùm radice tenus vellunt: nam ita succum ad inferiora transmittunt. Sed rariùs hoc modo poni debent, Palladio autore: & rūcari ac sarculari, si nō sępius, saltem quater, vt tradit Plinius. Qui etiam pæcipit ter solum fodi debere, antequam serantur. Si Luna minuente seris, tenues & acriores habebis: si crescente, robustas & saporis humesti, domito accremento. Cæterùm, illud nec ignorandum, nec prætereundum censeo, quòd in omni ceparum genere, oblōga acrior esse solet quàm rotūda: & rufa, quàm cādida: ad hęc sicca, quàm viridis, & cruda quàm cocta: nec nō recens, quàm sale condita, aut elixa. Lōgé autem maiores habebis, si cum translationi locus est, deponantur in terra viginti diebus antè subacta, & tantisper resiccata, dum omnis humor exhauriatur, ex sententia Sotionis Græci. Qui idem fieri etiam pollicetur, si detractis tunicis, nuda ceparum capita terræ committantur. Sunt qui affirment illarū semina ab auibus nequaquam attingi, ex quo negant terra obrui debere. Quod Ruellius malè ex Palladio collegisse videtur: nā anetho id adscribit, & nō cepis. Quarū semina, si ritè voles excipere, & opportunè legere, cùm virentes illę caulem agere cœperint, humilibus cāteriolis, vt docet Columella, stylorum rigorem conseruabis, scapósque leuibus adminiculis in modum iugatarum vitium præfulcies: alioquin thalli ventis agitati prosternentur, deturbatisq; scaporum cacuminibus, totum semen excutie-

Quomodo magnæ & capitatæ euadant cepę.

Quomodo tenuis & acrior fiat cepa, & cōtrà.

Quomodo maxima & amplissima fiat cepa.

Semina ceparum ab auibus non attingi: & quā do legenda sint.

tur. Quod non antè legendum est, quàm nigrum colorem præ se ferat: sicuti post Græcos, & Columellã tradidit Palladius. Incorrupte autem diu vigebũt cepæ, vt adnotauit idem Sotion, si in calidam aquam, vel, vt Plinio placet, salsam & tepidam immergantur, deinde insolentur donec penitus succescant, hordeaceisque paleis recondantur, ac ita reponantur, vt nulla ex parte sese contingant. Nostrates fumo & foculo expositas suspendunt, ac idem assequuntur. Quod priscis, vt multa alia, acceptum ferre debent. Si cepas ad portentosam magnitudinem in caput extuberare voles, semen illarum seminibus cucurbitæ includes, & cum fimo optimo terræ diligẽter subactæ committes. In eandem magnitudinem etiã luxuriabunt, si effossa in circuitu terra, illorum capitula, attollendo, erexeris: ita tamen ne eradicentur, vt in porro scripsimus. Idem etiam obtinebis, si caput cepæ peforaueris, & in illud cucurbitulæ semen immiseris, ac terræ vtrunq; remiseris. Sed hoc loco non putaui omittẽdum, quòd si ceparum semina opportunè seminaueris, in caput quidem crescent, sed minùs seminis reddẽt. Si verò capitula seueris, inarescẽt cepeta, vel vt aliis placet, capita, & in caulẽ rotũdabũtur. His addo, quòd solo erutæ & humi iacẽtes cepæ, aut laqaribus appensæ, diutius in aëre viuũt: imò verò, si Aristoteli credimus, solstitio, vt pulegiũ, & alia pleraq; ibidẽ florent: quasi ancipitis sint vitæ, modò ex terra, modò ex aere nutrimentũ capescentes. Sed facilè extra terrã germinant, & humoris illectu gestiunt: verùm acto coliculo flaccescũt.

Quomodo incorrupte seruentur cepę.

Quomodo ceparum caput in portẽtosam magnitudinem extuberet.

Cepas diu in aere viue re, & ibidem quandoque florere.

Nuces aduersari cepis & cur iuxta coronarias herbas serãtur.

Quibus Plinius nuces aduersari, & cepaceum saporem lenire scripsit. Audio multos iuxta coronarias herbas, cepas & allia serere, ad excitãdam conciliandamque odoris suauitatem : ídque ex Plinij & veterum consilio non vsquequaque aspernando. Verumenimuerò, hoc loco valdè admirandum occurrit, quòd cepa sola olerum omnium, vt tradit Plutarchus, Lunæ damna non sentit: habètque augendi & minuendi vires illi contrarias. Nam reuirescit & regerminat decedente ac senescente Luna : inarescit verò ac marcescit eadem adolescente. Ex quo Pelusiotę Aegyptij sacerdotes cepas religiosè cibis abdicabant. Cùm ergo fruges, herbæ, arbores & animalia syderis huius damna & incrementa sentiant, sola cepa vicissitudines nouit aduersas. Huius condituram ad hyemẽ sic parabat Columella. Cepam, vel ascaloniam (quibus communia sunt omnia) quæ non fructificauit, nec soboles habuit adhærentes, eligebat, & in sole prius siccatam, deinde in vmbra refrigeratam, substrato thymo vel cunila, in fidelia componebat: & infuso iure, quod erat aceti partium trium, & vnius muriæ, fasciculum cunilæ superponebat, ita vt cepa deprimeretur. Quæ cùm ius ebiberat, simili mistura vas replebat, & loco idoneo, vsui seruandum reponebat. Hoc, licet puerile, non omittam, quia à Cardano viro docto adnotatum. Literæ succo ceparum deductæ & formatæ planè inuisibiles sunt: quæ tum demum se prodent, cùm papyrus aut res alia inscripta, excalfacta fuerit & igni admota.

Cepa olerũ sola Lunæ vicissitudines nouit aduersas.

Ceparũ conditura ad hyemem.

Radi-

Radicis seu raphani cura, auxilia, & secreta.
CAP. XI.

Satiuus raphanus, altilísve radix, notior est quàm vt hic à me explicari debeat: nam plerique omnes, cùm diuites, tum pauperes, vrbani et agrestes, dum cibi fastidio vrgentur, edendi appetentiam ea radice excitát: illam in taleolas vel orbiculos digerentes, & aqua ac sale imbuentes. Cuius talis debet esse cura, Columella autore, vt terra stercorata & subacta eius semen obruatur: atq; vbi incrementum aliquod radix admiserit, subinde exaggeranda est terra. Nam si nudetur, ac Soli & aëri exponatur radix, dura fiet & fungosa, vt tradit Plinius, qui terram solutã & humidam illi præscribit. Palladius tophum acglaream reformidare dicit, & cœli statu nebuloso gaudere: prætereà quòd seri debet spatijs grandibus & altè fossis post nouam pluuiam, nisi fortè humidus ac rigationi aptus fuerit locus. Quod satum est, statim debet operiri leui sarculo, nec est ingerendum aut inijciendum lætamen (quanquam aliter Columella) sed paleę, vt posteà dicemus. Vulgus Gallicum Rauen, & Reforum aut Raphum nuncupare solet. Sæuiente hyeme rarior est apud nos huius cultura: nam frigorum est impatiétissimus raphanus, qui violatus gelicidijs aut flaccescit, aut emoritur. Plinius tamen frigore adeò gaudere scribit, vt quandoque visus sit in Germania raphanus qui infantium pue rorum magnitudinem æquauerit. Aristomachus hyeme folia detrahi iubet, eáque ne lacunæ stagnent accumulare: nam ita in æstatem grandescet radix. Vt vt fuerit, certum est frigoribus cre-

Raphanum lapsam appetentiã erige-re, & eius vsus.

Raphani cultus & terra.

Quomodo & quando seri debeat raphanus.

Raphani Gallica nomina.

Frigoris impatiétissim⁹ raphanus.

Frigore ra-

phanũ dulcescere. ſcere ac dulceſcere, vti rapa, ſiquidem durare poſſit: frigus enim incrementum in radices non folia conuertit: & ſi illas tum ligneſcere apud multos, Theophraſtus prodit. Raphanus iucundior eſſe ſolet, ac palato gratior detractis folijs antè quàm decaleſcat planta; vt Plinius adnotauit. Folium autem quò leuius erit, eò ſuauiorem & mitiorem præbebit radicem: quæ ſalſugine amaritudinem, ſi quę inſit, prorſus exuet. Ex quo ſalſis ali ſcripſit Plinius, talibúſque aquis irrigari præcepit. Aegyptij nitro conſpergunt, vt ſit ſuauitate commẽdabilior radix: quæ cortice & cartilagine conſtat: adhæc ſapore in multis acuto, ſed tamen grato: cuius pars cùm extra terram emerſit, dura ſit, vt diximus, & fungoſa, niſi circumobruatur. Fœminini generis eſſe exiſtimantur raphani qui minus ſunt acres, & folia habẽt leuiora ac iucundè virẽtia; vt ſcripſit Palladius.

Raphanum ſalſis aquis gaudere, & illis amaritudinem exuere.

Si dulces habere cupis, ex Florentini conſilio, ſemina mulſo, vel paſſarum vuarum ſucco, aut ſaccharata aqua biduò præmacerare debes, & ſiccata terræ committere. Si maiores fieri peroptas, ſublatis folijs omnibus ſolo caule tenui dimiſſo, terra ſæpè operies, vt idem admonet Palladius. Quod ſimiliter fieri pollicetur Plinius, ſi palo adacto fiat cauernula quæ palea inſternatur ſex digitorum altitudine, deinde ſemen raphani ſimo & terra leuiter in illa contegatur: nam ad ſcrobis magnitudinem excreſcet. Verumenimuerò quia ab agreſtibus pulicibus infeſtantur plurimum raphani, ne illis noceant remedium eſt, autore Theophraſto, eruum interſerere. Ne verò naſcantur, nulla ſuo ſeculo reperta fuiſſe auxilia arbitratur: quæ nos libro primo ex antiquis plurima

Quomodo fiant dulces raphani.

Quomodo fiant maiores raphani.

Raphanum ab aggreſsibus pulicibus infeſtari, cum apto remedio.

rima attulimus. Cæterùm hîc prætereundũ non duxi, quòd raphanis amaritudo inest ꝑ corticis crassitudine, vt tradit Plinius: qui etiam dẽtibus nocere scribit, quòd illos atterant. Sed hoc loco in mentem mihi venit secretum multo argento œnopolis comparandum, quod gratis ac libenter illis impertiam. Si raphani particulæ filo traiectæ, vt eximi possint, dolio vini immergantur, fœtorem omnem ac graueolentiam (si quę insit) adhæc acorem in se recipient ac contrahent. Sed ne ibi tabescant & vitium trahant, confestim eximere oportebit: & si opus fuerit, recẽtes immittere. Quod monuisse, multis profuturum mihi polliceor: tametsi ad nostrum vinorum Enchiridion & secreta id transferri poterat. Est sanè miraculum summè admirabile, quòd raphano perniciàlia sint cum vitibus odia, à Plinio, Galeno, Atheneo, & Palladio diligenter adnotata: eáque adeò infensa (vt in brassica ostendimus) quòd si iuxtà ferantur, ad sensum diffugere videantur, occulta nescio qua naturarum discordia: imò verò si permutatis scrobibus pangantur, nullo modo comprehendant. Ex quo Antrocides medicinam cõtra ebrietatem esse dixit raphanum, quẽ vetus Græcia apertè cum brassica confudit, sicuti in historia brassicæ ostendimus. Vnde mirum esse non debet, si inuicem communia habeant multa. Fuit sanè apud priscos in tãto honore raphanus, vt Moschion Græcus de eius laudibus vnum scripserit volumen. In quo illum cæteris cibis in Græcia vsqueadeò prælatum fuisse tradit, vt Delphis in templo Apollinis ex auro diceretur, beta ex argento, & rapum ex plumbo. Quod quatuor versiculis Eobanus Hessus doctè, vt

Raphanum dentibus nocere, & corrupta vina emendare.

Pulchra & notatu digna.

Raphano esse odium perniciale cum vite.

Raphanum in summo honore fuisse apud priscos.

ctè, vt omnia adnotauit, de raphano ad hunc scribens modum.

Fabula narratur sacros ab Apolline Delphos,
Omnibus hunc alijs præposuisse cibis.
Ex auro vt raphanum sacrarent, pondere betam
Argenti, plumbum rapa fuisse putant.

Raphanum ebora polire, & salem eliquare.

Sed ne obsecro omittamus quòd ebora perbellè expolire fertur, & salis cumulos in aqueam salsuginem transmutare & redigere, si illis conspergatur. Festinãs ad finem penè omiseram (quod initiò dictum oportuerat) raphanum transplantatione acrimoniam deponere, & summam gratiam in cortice habere, modò recens fuerit & nõ inueteratus: idcircò multi exemplo parum imitabili, illum edendo temerè à corpore deradunt. Cęterùm, ne quid dissimulem quod vel legerim, vel audiuerim, vel obseruauerim, non tacebo quòd ex raphano acetum sic fieri posse ostendit Petrus Crescentius in suo de Agricultura opere. Radices raphani, inquit, siccato & in puluerem redigito, deinde in vas quod vinum habeat infundito, misceto, ac dies aliquot quiescere finito, tum demum eximito, & acetum tibi comparabis raphanatum, ad renum calculos atterendos & deturbandos, aliáque multa summoperè vtile. Sed hæc extra olitorium institutum nostrum, quò fit, vt alia persequar.

Acetum raphanatum nephreticis calculosis summè vtile.

HERBACEI FRVCTVS ESCVLENTI.

Cucurbitarum cultus, auxilia, & secreta. CAP. XII.

De

DE internis fœtibus hortorum, nimirũ radicibus, hactenus sit scriptũ: nunc demum agendum de his qui supra terram iacẽt, vel haud ita procul, & cartilagineo generi ascribuntur. In quorum censu quia cucurbitę primas sibi vendicant, idcirco de illis primo loco dicemus: quas nemo non videt aut in longum prorogari, aut in breue crassamentum, collo prominulo, cogi, vel in orbem intumescere. Priores suum nomen retinent, postremæ citruli aut turcicæ cucurbitæ dici solent: erumpúntque omnes plurimùm post sextũ, septimúmve diem à satu: reptãtibus flagellis & capreolis dum adolescunt, ceu cirrhis quibusdam & capillamentis, altè scandunt, naturâ sublimitatis auidâ, sed absque adminiculis stare nequeunt, leui vmbra cameras, testudines ac pergulas opacantes, dependente ex tenui pediculo fructu ponderis plerunque enormis. Amant solum pingue, humidum, stercoratum & solutum, vt scribit Palladius. Quibus si copia aquæ adfuerit, minorem curam desiderãt: nam humore plurimùm iuuantur: licet reperiantur, quę sine multa rigatione conualescant, & hinc iucũdioris gustus fructum præbeant. Si sicco fuerint commissæ solo, fictilia aquæ plena iuxtà ponenda erunt: inditis fascijs, quæ perpetim humorem stillent. Quod auxilium maximè proderit per æstus & squallores. Seminis parum habent longiores & tenuiores, atque ob id cibis gratiores esse solent, & esculentæ merci, cucurbitarióve foro aptiores. Quas si tibi comparare voles, ex Columellæ, Plinij & Palladij consilio, hac via procedes. Semina de collo cucurbitæ sumpta, recto cacumine seres, stercorabis ac rigabis. Si vastioris incrementi

Cucurbitarum differẽtiæ, & natura.

Cucurbitæ sublimitatis auidæ.

Quænã terra cucurbitis apta, & quòd humore iuuentur.

Quomodo fiant longæ cucurbitæ: ac hæc vastæ & crassæ.

menti optas, de medio ventre extractum semen, inuerso cacumine telluri depone. Tales, vbi inaruerint, cadorum vices supplebunt ad vina, olea aut grana condẽda: quòd aluo capaciore plus cæteris intumeant. Quare peregrè proficiscentes, illis carne, semine, & chartilagineis mẽbranulis priùs exinanitis, vrceorum loco vti solent: vinũ vel aquam infundentes, quibus se ab excruciãte siti, & itineris molestia, opportunè vindicẽt, collapsasque ex fatigatione vires actutum reparent. Si latas & amplas habere tibi cordi fuerit, semina quæ in fundo latitant, inuersis cacuminibus terræ mandabis. Quæ si à pulicibus infestentur, curabis origani ramulos iuxtà pangendo. Nam vel insidentes enecabunt, vel nouos creari non patientur, sicuti Græca Quintilliorum testantur Georgica. Ex quibus etiam quæ sequuntur tibi libenter deprompsimus. Nascetur absque vllo semine cucurbita, vti etiam cucumis, si spargẽdum semen, triduum antè, sesamino oleo, vel sabino, vt legit Palladius, maceretur: aut herbę succo imbuatur, quæ culex vulgo, & culix Plinio, Gręcis verò (quantum coniectare licet) conyza nuncupatur. Idem fiet, si vitium more, sarmentum primum aut virgultum ita defodiatur, vt solum ei' caput exertum promineat: quod vbi adoleuerit, repetendum erit, & tertiò, si opus fuerit, faciendum. Danda tamen erit opera, vt quæ adnascentur propagines, super terram extantes resecẽtur: seruato duntaxat eo sarmento & virgulto quod postremum fuit. Ita curatæ cucurbitæ, cum cucumeribus, fructus absque intestinis seminibus creabũt, solis cartilaginibus contentæ. Quòd si huius, & illius, præmaturos ac præcoces fructus

Cadi viatorii ex cucurbitis.

Quomodo latæ & amplę fiant cucurbitę: Et à pulicibus liberentur.

Quomodo nascatur cucurbita absque vllo semine. Et itẽ cucumis.

ctus habere voles, ex eorundem Quintilliorum doctrina, ineunte vere terram cribro excretam, fictilibus aut cophinis inutilibus impones, mistóque stercore, modicum præbebis humorem: deinde calidis diebus & insolatis, vel imbrem leuem spargētibus, sub dio statues, & Solis occasu ad tectum referes: idque tandiu facies dum frigora, tempestates & gelicidia discutientur. Posteà cùm primùm opportunitas vocabit, totos cophinos & fictilia labro tenus in terram subactam & excultam demittes, ac reliquā diligentiam impendes: & ita cucurbitæ ac cucumeris præcocem fructum habebis. Res eadem faciliùs & minore cùm temporis, tum laboris, impendio fiet, si luxuriantes cucurbitarum, vel cucumerum viticulas putaueris: nam sic fœtus suos celeriùs edent. Si formas varias & characteres diuersos in cucurbita vel cucumere repræsentari desideras, florem vel primum vtriusque rudimentum, vti erit in sua vite, in effigiato, vt voles, intus fictili aut cōceptaculo alio claudes ac deligabis. Nam qualem vultum impressa figura præstabit, talem cucurbita vel cucumis præferet. Tam enim nouæ formæ vtrunque est auidum, vt vasis cui indideris, æmula facie imaginem repræsentet: quemadmodum in Quintilliorum Georgicis adnotatum reperi. Quod Gargilio Martiali cur ascribat Palladius, non video. Itaque qua cogentur forma cucurbitā & cucumis, eadem crescent: vt scribit Hippocr. noster in lib. de seminis genitalis natura: plerūque sub draconis intorti imagine, vt tradit Plinius. Si longas & angustas tibi fieri contēdis, nupereditos in lucem cucurbitinos partus cum viticularum capitibus fistulæ aut arundini in-

Quomodo fiat præcox cucurbita, & item cucumis.

Artificiosa inuentio.

Quomodo formę variæ & characteres cucurbitę aut cucumere imprimatur.

Quomodo fiant longę & angustæ cucurbitæ.

infere, cui priùs omnes nodos pforaueris, ibi in prodigiosam longitudinem procedere animaduertes. Nam quòd latitudini per teretem fistulæ angustiam demetur, paria faciendo, longitudine pensabitur: adeò vt libertate pensili concessa, Plinio visa sit cucurbita nouem pedum longitudinem coæquasse. Nec ignorandũ quòd quæ posteà nascentur ex istarum semine, longitudinem eandem absque vllo mangonio & artificio retinebunt. Similes omnino efficies, si in patens vasculum, aquam quinque vel sex digitorum interuallo, pendẽtibus cucurbitis subieceris. Nam ante posterum diem ad aquam, veluti adrepentes, descendisse, & sese in tantum extendisse obseruabis. Destitutis verò sua aqua vasis, decuruabuntur, ac inflectentur: vsqueadeò humore gaudent, & siccitates refugiunt. Secus de oleo sentiendum: nam illud tam infensè oderũt, vt scribit Plinius, quòd si loco aquæ illis subijciatur, aut apponatur, in contrariam partem vergant. Si minùs id possunt, sese intorquent, & velut indignatæ, in modum hami recuruant: quod nocte vna deprehenditur. Cæterùm, summè cauendum est, sicuti Columella, post Florentinum Græcum, admonet, ne ad cucurbitariũ, cucumerariúmve, mulier accedat, vel quàm minimè admittatur: nam contactu eius languescunt virentium incrementa. Quæ si in menstruis fuerit, visu quoq; suo tenellos fœtus necabit: aut insuaues, vel tabidos reddet. Seminibus destinatæ cucurbitæ, ad hyemem vsq; in sua vite pendere debent, vt tradit Pallad. ex qua sublatę, vel Sole, vel fumo siccabuntur: alioquin semina marcore putri confecta vitiabuntur. Diu recentes durabunt & cucurbitę & cucumeres,

Cucurbita longa pedes nouem.

Modus alius comparandi lõgas & angustas cucurbitas.

Oleũ cucurbitis summè inimicum.

Mulieres ad cucurbitaria accedere nõ debere, nec item ad cucumeraria.

Quomodo

meres, si in albi vini fecem non peruersam, piĉatis dolijs demergantur & operiantur. In muria itidem incolumes perennant. Sed illis vita, vigórque longo tempore permanebit, vt Quintilliorum Georgica fidem faciunt, si in cadis paucum acetũ continentibus, ita sublimes pendeant, vt acetum nullo modo contingant. Verùm, oppicãda erunt vasa quę huic negocio destinabuntur, ne foras acetum vaporet, natura alioquin penetrabile, ob partium tenuitatem. Hoc itaque artificio recentes cucurbitas hyems tota opportunè tibi ministrabit. Quas si voles, etiam seruabis, si dum tenerescunt incideris, & feruefactam aquam affuderis, totámque noctem, sub dio perfrigeraueris, & posteà in acri muria cõposueris, sic in alios prouentus egregiè custodies. Hoc loco mihi in mentem sanè quàm opportunè venit, quod Athenæus refert: demiratos conuiuas suos, quòd Ianuario mense virides cucurbitæ in escam oblatæ fuissent, peculiaris succi non immemores, & natiuum saporem retinentes. Quod olitorum studio, qui artem hanc percallebant, referendum omnino putabant. Erant autem, vt scribit, à salgamarijs qui hortenses condituras profitentur, asseruatæ. Quem modum longè ante Athenæum, Nicander & alij plerique docuerunt, iubentes cucurbitas in aëre priùs siccatas, et funiculo transfixas, fumo appendi, vt refertas ijs ollas, per hyemem ociosa seruitia sorberent. Hodie per hybernos menseis omnes, laquearibus & tabulatis ędium appensæ, virides & cibis non ingratæ, à nostratibus vbique custodiuntur, maximè quæ citruli nuncupantur, vulgaribus longè duriores, & proinde corruptionis labem tam facilè

Diu recentes durabũt cucurbitæ & cucumeres.

Oppicanda esse vasa acetum continentia.

Pulchra historia de hyemalib. Athenæi cucurbitis.

Quomodo seruētur hodie apud nos cucurbitæ.

cilè & repentè nec agnoſcentes, nec ſentientes. Purgatorias facies & deiectorias, vt alia pleraq́;, ſi illarum ſemen noctem ac diem, cum rhabarbaro, agarico, ſcammonia, colocynthide aut alijs purgantibus medicamentis ſimplicibus, præmaceraueris, deinde, qua dictum eſt formula, ſeminaueris. Et cùm inſipida ſit cucurbita, quo voles ſapore & odore illam facilè imbuere potes, ſi ſemina antequàm terræ committantur, in eo præmaceres: huncenim, vbi adoleuerit, ad vnguem referet: non dico cruda, ſed etiam cocta: perinde atque cucumis. Fiet idem prorſus abſque vlla arte, ſi dum coquitur, quem volueris ſaporem, colorem, aut odorem iniicias. Nam & cucurbita & cucumis ex eorum ſunt genere, quæ Græci ápoia vocaut, hoc eſt, qualitatis omnis expertia. Latini inſipida & fatua nuncupant, quemadmodum in beta adnotauimus. Hîc ferè omiſeram, quòd cucurbitæ vni fructuum omnium qui extra terram ſunt, cortex maturitate in lignum tranſit: præterea, quòd cucurbita in oſſium humanorum cineribus plantata, & oleo rigata, nono die fructum profert, vt autor eſt Hermes. Qui, quia vana multa tradit, idcirco rerum plurimarum fidem mihi ſuſpectam relinquit: adde quòd incertum facit experientia certum.

Quomodo fiant purgatoriæ cucurbitę & fructus alij.

Cucurbita & item cucumis quomodo ſaporem & odorem quemuis ſuſcipiant.

Cucumerum cura, auxilia, & ſecreta.
Cap. XIII.

ANTEquam hîc de cucumeribus qui cartilaginei ſunt generis aliquid ſcribá, pauca præfabor. Proximo capite ſecreta multa cucurbitis & cucumeribus communia, in medium attuli

tuli, Aphros & Græcos geoponicos sequutus. Qui, quantùm equidem sentio, cucurbitas cum cucumeribus quadam naturæ cognatione confuderunt, vti etiam Plinius. Hinc Euthydemus Atheniensis, libro quem de oleribus condidit, cucurbitam vocauit Indicũ cucumerem. Et Menodorus Erasistrati sectator duplicem eam fecit. Vnam Indicam, quæ (vt loquitur) cucumis est: & alteram, quæ vulgaris est cucurbita. Sic Hellespontij cucurbitas longas, cucumeres vocarunt: rotundas verò, cucurbitas. Addo, quòd ventrosam illud instrumentum, quo corporibus affixo, vel spiritu, vel leni scarificatu sanguis elici solet, Græci medici sicyan & sicyn à cucumere, Latini verò diminuta voce à cucurbita, cucurbitulam dixerunt: vulgus ventosam nominat, aptius fortasse ventrosam. Ex his liquidò constat, rerum nomina & proprietates plerunque ab autoribus confundi. Quapropter mirari desines, si multa cucurbitis & cucumeribus ex cognatione, priscos sequuti, communia fecerimus: quæ hic non sumus scripturi, formidantes tædium ex iteratione gignere. His positis, ad rem venio. Cucumeres, Palladio autore, sulcis rarè factis seminandi sunt: altitudine sesquipedali, latitudine verò pedum trium. Sed inter sulcos spatiũ pedum octo relinquendnm est, vt liberè possint euagari. Sarculo & runcatione non indigent, quod herbis plurimùm iuuentur. Serpunt sarmentis, ac vitilibus prælongis, vitis modo, sese in ramos diffundunt: quos ob caulis infirmitatem humi dispergunt, nisi adminiculum propiùs obijciatur, cui caduci incumbant. Die sexto vel septimo post satum emicant, quibus si copia aquæ adfuerit,

Antiquos cũ cucurbitas cũ cucumerib⁹ confudisse.

Pulchra & notatu digna.

Quomodò seminandi & tractandi cucumeres.

Infirma & caduca cucumerum natura.

minorem curam desiderant: nam humore plurimùm iuuantur, perinde atque cucurbitæ, sicuti nunc nuper scripsimus: hyemem tamen & frigora summè perhorrent. Quorum semina si biduo ante sationem, lacte ouillo, vt vult Palladius, vel mulso, vt Plinius, aut aqua mellita, vel saccharatà præmacerētur, dulces reddent cucumeres, adhæc teneros, candidos, et iucundissimos, cum sapore, tum aspectu, vt adnotauit Columella, & ante eum Florentinus Græcus: necnon, post vtrunque, Plinius ac Palladius: quibus omnibus subscribit experientia. Præcoces & prematuros, imò verò anno toto qui volet habere, præcedens cucurbitarum caput consulat: & quod ibi fuit omissum de fictilibus & cophinis, vasisq; alijs, præsenti admonitione resarciat: nimirum, quòd rotulæ illis subijci possunt, vt minore labore pensiles ipsorum horti, cùm opus fuerit, foras producātur, & rursus intra tecta reducātur. Possunt etiam specularibus vestiri, vt spirantibus ventis, & vigente frigido cœli statu, Soli absque iniuria exponi queant. Hac ratione, toto ferè anno Tiberio Cæsari cucumis præbebatur, mira voluptate illi expetitus: quemadmodum post Columellam, posteritatis memoriæ mādauit Plinius, quem nullo non die ei contigisse scribit. Sed leuiore negotio ac labore, id etiam cōfici apud Aegyptiæ gentis Dolum Mendesium, autor est Columella. Aprico, inquit, & stercoroso loco, alternis ordinibus ferulas, alternis verò rubos cōsita habere oportet: & confecto æquinoctio paululum infra terram secare: ligneóque stylo laxatis, vel rubi, vel ferulæ, medullis, stercus immittere: atque ita semina cucumeris inserere, quæ scilicet incre-

Quomodo fiant dulces cucumeres & iucundissimi.

Quomodo præcoces, & præmaturi fiant.

Pulchrum artificium.

Alia via & modus accelerandorum cucumerū.

incremento suo, rubis & ferulis coëant. Nam ita non sua, sed quasi materna radice alētur: nascentúrque fructus, qui inter frigora etiam vigeant. Rem eandem tradit Plinius, admonēs Columellam suum hîc commentum prodidisse: & si autorem producat. Sed Plinium ipsum audire prestabit: Columella, inquit, suum tradit commētum, vt toto anno contingāt cucumeres: fruticem rubi quàm vastissimum in apricum locum iubet transferre & recidere, duûm digitorū relicta stirpe circa vernum ęquinoctium, ita in medulla rubi, semine cucumeris insito, terra minuta, fimoq; circūaggeratas resistere frigori radices. Vt vt fuerit, Plinio cum Columella hac in re malè conuenire vides. Nam ille circa æquinoctium vernum id fieri iubet: hic verò circa autumnale, vt interpretatus est, & ex Columella transcripsit Palladius: sed in his distingue solum & cœlum. Si longos & teneros habere desideras, adhæc sine semine, & qua volueris effigie formatos, necnon recentes tota hyeme, ad præcedens caput recurre. Vnum tamen ibi omissum hîc non tacebo, nempe quòd prisci salgamarij cucurbitas & cucumeres sale, aceto, fœniculo & sampsucho cōdire solebant. Sunt qui virides seruari dicūt, trito sinapi cum aceto. Plinius in scrobe, opaco loco arena substrato illos componit, fœnóque sicco & terra operit. Athenæus plenilunio in hortis maximè glifcere, & manifestum incremētum capessere tradit: necnon more echinorum marinorum impleri: quod aquei humoris summum est argumentum. Athenæo suffragatur Plinius, addítque quoties cælum tonat, velut timore perterritos conuerti & tabescere. Sed memorabile illud est,

Summè aduertenda & obseruāda.

Quomodo olim cōdiebantur cucumeres.

Cucumeres lunari de fluuio subijci.

quòd à mulis cucumeres summoperè expetuntur, mira oleris hui' voluptate illecti, cuius odorem vel eminus sentiunt. Quare munienda sunt cucumeraria, ne illi erumpentes ea depopulētur, ac proterāt. Memorabilius & illud, quòd in Græcis Quintilliorum georgicis legi, & à multis non infœliciter probatū audiui: quid illud, inquies? Si febricitanti infanti qui adhuc lacte nutritur, paris longitudinis cucumeres dormienti apponantur, & quasi condormiscār, statim sanabitur: nam febrilis calor omnis in illos transibit. Penè omiseram quòd si parum aquosos habere libuerit cucumeres, vbi scrobem foderis in quem illos depositurus es, dimidium altitudinis eius, paleis aut sarmētis implere debes, & terra aggesta, absque irrigatione reliquum absoluere. Megarenses etesus ventis spirātibus, cucurbitis, cucumeribus & peponibus puluerem sarculo concitabant, vt fructus molliores & sine rigatione dulciores fierent. Si radices agrestis cucumeris tusas, aut rhabarbarum, agaricum, cnicum, vel quid simile in potabili aqua per tridunm maceraueris, & diebus quinque plātulas cucumerarias huius liquoris haustu satiaueris, ventris purgationem ab his solicitabis. Quæ validior erit, si dum radices sua fundunt germina circonfossis & ablaqueatis tenuibus fibris, ellebori aut alterius purgantis medicamenti simplicis portionem adieceris. Hoc postremum esto: Matron suis carminibus, vt est apud Plinium, cucumerem terræ filium nominauit: & Heraclides Tarentinus, hedygeon, quasi terræ suauitatem.

Munienda cucumeraria aduersus mulos.

Notanda pro febricitantibus infantulis.

Quomodo parandi sint cucumeres parum aquosi.

Quomodo fiāt purgatorij cucumeres.

Cucumis terræ filius & suauitas.

Pepo-

Peponum, Melonum, ac Melopeponum cura, auxilia, & ſecreta.

CAP. XIIII.

PAVca de peponibus & alijs hîc ſcribã, quòd cucumerum generi, priſcis rei ruſticæ docto ribus Græcis & Latinis contribuantur, & proinde multa illis affinia agnoſcant. Ex quo cucumeres in pepones, & melopepones degeneraſſe viſum eſt. Qui duo poſtremi figura tãtùm & quantitate inter ſe diſsident. Nam cum magnitudine exceſſêre, pepones vocantur: dum verò rotundi, formam & effigiem mali referunt, facta ex pepone & malo nomẽclatura, melopepones ſunt vocati. Vnde Palladius totum hoc genus, melones à malorũ figura, ac ſi dicas pomeos aut cotoneos nuncupauit. Qui pendêre non ſolent, vt ſcripſit Plinius, ſed humi rotundari: maturitatem præ ſe ferentes, cùm pediculus à corpore ſecernitur, & ſuauis odor ab vmbilico nares ferit. Omnes rariùs ſunt ſerendi, ita vt ſemina inter ſe pedibus duobus diſtent, locis ſubactis, & areis diligenter paſtinatis: libertate enim gaudẽt, qua vltrò citróque vagari poſsint: herbis prætereà impensè iuuantur, vt cucumeres: quare ſarculatione ac runcatione parum indigent. Vite prælonga ſerpunt, flagellis hinc inde reptantibus: ſuntque fructu cartilagineo (de peponibus loquor) orbiculatim ſtriato, prominulis puluinorum toris, ſtrigis, in vertice & vmbilico coeũtibus, ac ibidẽ ſtellatim decuſſatis: adhęc cute ſunt aſpera, & velut lentiginibus occupata, ſed carne intus ſuaui, & ſeminibus in vtero liratim digeſtis: Quæ ſi mulſo, vel lacte per triduum macerentur, & exſiccata, ſolo

Pepones cucumerum generi olim aſcripti.

Forma peponum, melonum & melonum.

Quomodo ſerendi pepones.

Pulchra peponum deſcriptio & hiſtoria.

Quomodo ſuauiſsimi fiant pepones.

fiant pepones.

credatur, longè maiorem suauitatem contrahēt pepones qui inde nascentur, ac palato gratiores erunt. Odorati fiet, si semina diebus multis inter rosæ folia deponantur, & mixtim cum illis plantentur: aut rosacea aqua vel alio odorato liquore imbuantur, & vt dictum est, terrę committantur. Autor est Florentinus in suis de agricultura Græcis præceptionibus, & post illum Palladius. Hic non est omittendū, quòd à felibus pepones, vtetiam melones, summè expetuntur & auidè, quare à peponarijs & melonarijs sunt arcēdi. Reliqua ex cucurbitarū & cucumerum secretis erūt petenda: cū quibus multa, vt præmonuimus, cōmunia agnoscunt fructus isti. Quare si præcoces, si amplos, si effigiatos, si absque vllo semine tibi comparare cupis, precedēs cucurbitarum caput, si videtur, consule. Penè præterieram quòd melonis aut peponis frustulum ollæ iniectum celerem carnium cocturam iuuare fertur: non secus quàm vrticæ vel sinapis semen, aut fici surculus, vt suis dicemus locis.

Quomodo odorati fiat pepones, a quibus arcendi feles.

Autori molesta repetitio.

Cinaræ, seu hortensis cardui cura, auxilia, & secreta. CAP. XV.

CInaram esse è carduorum genere, nemo nescit herbarius. Ex quo altilis & hortensis carduus etiam dici solet. Nam cultus mangonio, domita feritate in hortis mansueuit, ac in his habitare didicit: nescio qua gulæ audacia, quę terrę portenta in ganeam & luxū vertit, à quadrupedibus plerunque neglecta: vsqueadeò ventris & Veneris desiderijs obsonantur homines. Est itaq; cina-

Quomodo carduus ex agris in hortos transfuerit.

cinara, seu altilis carduus, planta nemini hodie
non cognita: quæ compactilibus spicis squamma
tim coagmentatis constat. In quibus orbiculata,
aut pyramidalis facies exterior virescit, interior Cinaræ pul-
verò niueo candore nitescit. Tota structili nucle- cherrima
orum serie, pineam nucē videtur exprimere: vn- descriptio.
de & strobilus plerisque dicitur. Nulli sunt ho-
die horti, qui hac planta longè & latè non pubes-
cant ac syluescant; adeò vt opipara nulla sit men-
sa absque echinato hoc cibo, modò anni tempus Vnde cina-
illū concedat. Vulgus Gallorum alticoçalum nū- ra nobis al-
cupat, ab articulo Arabum al, & cocalos, qui Hip ticocalus di-
pocrati, Galeno teste, nucleus est pineæ nucis: cu- catur.
ius imaginem refert cinara, vt paulò antè dixi-
mus. Terram stercoratam & solutā diligit: quam-
uis in pingui solo melius possit prouenire, vt tra- Terra cina-
dit Palladius. Qui etiam præcipit semina cinaræ ræ apta, &
crescente Luna in paratis areis, spatio semipedis quomodo
discreta, non altè imprimi: sed tribus digitis com seri debeat.
prehensa, donec ad primos articulos terra proce-
dat, demergi ac leuiter obrui, rigarique frequen-
ter, si æstus interueniat. Nam ita teneriorem fru-
ctum ac pleniorem educabunt, vt Varroni græco Cinaram ci-
visum est. Cùm verò plantæ adoleuerint, herbis nere gaude-
assiduè liberari ac expurgari debebunt: multóque re, à quo no-
cinere, si Columellam audire volumus, stercora- men habere
ri. Nam id genus stercoris, huic oleri aptissimum fertur.
esse tradit: à quo cinaram dictam fuisse, multis
placet. Cauendum autem erit, ne semina inuersa
pangantur: sic enim debiles, incuruas ac pumilas Quomodo
creabunt cinaras, vt Palladius asserit. Qui ex A- fiat cinara
frorum & Græcorum placitis etiam tradit, nul- nullis horre
lis spinis illas horrescere, quæ seminū cacumina scens spinis.
ante sationē fracta, vel lapidis attritu retusa ha-

buerint. Quod etiam multi affirmant contingere ſi in lactucæ radicem decorticatam & delibratam, tenuéſque in particulas conciſam, ſingula ſemina, ſingulis indita particulis obruantur, & quo dictũ eſt modo, plantentur.

Quomodo fiant odoratæ cinaræ.

Suaues & odoratas habebis, ſi ſemina in odorato liquore aliquo, aut ſucco triduũ præmaceraueris, & ſiccata terræ commiſeris: nam ſaporem eum referent, cuius humorem combiberint. Vnde laurum redolebunt, ſi illa cum lauri folijs maceraueris, aut in lauream baccam intruſeris, & ita plantaueris. Simile erit experimentum in reliquis.

Quomodo fiant cinaræ dulces.

Dulces prouenient, ſi ſemina in lacte, melle, aut aqua ſaccharata, vel vino aromatite maduerint, & ſiccata tellurem intrauerint. Nonnulli ſub autumni finẽ, vel hyeme ineunte coliculos & folia humo obruunt, vt candorem aſciſcant, & amaritudinem exuant, fiantq; inter hybernos cibos gratiores: noſtrates (niſi fallor) cardas ſolent appellare. Cæterùm, hoc loco tacendum non exiſtimo, quòd ſingulis annis ſtolones à codice ſunt euellendi: ne matres fatigentur, & ſoboles per alia ſpacia diſtribuantur.

Summa & indicibilis cinaræ fœcunditas.

Tanta enim eſt huius plantæ fœcunditas, vt propagines colibus auulſas & humi depactas, comprehendere narrent, ſæpéq; anno eodem & colem & echinum producere. Græcæ agriculturæ magiſtri, mucrone falcis diducta terra, cum aliqua parte radicis illos eruunt, ac ſolo bene ſubacto, & vetere fimo ſaturato committunt: iugitérque, vbi æſtus fuerit, irrigant: donec plantaria ſolida ſibi iecerint fundamenta.

Quomodo ſeruanda & paranda cinaræ ſemina.

Ex horum ſylua quotquot ad ſemina ſeruare voluerimus, pullis omnibus liberabimus, vt loquitur Palladius, ac teſta, aut cortice ſupertegemus. Nam ſemina

mina vel Sole vel imbribus vitiari solent, suoq; effœta ingenio perire. Quæ si vel exucta Solibus, vel imbrium aspergine rancida solo credantur, suo cardueta decoquēt olitori. Qui hîc mihi monendus est, cinaræ radices à muribus summè expeti: quarum voluptate semel illecti, turmatim, vel è longinquo accurrunt: sicuti in suis agriculturæ selectis præceptionibus adnotauit Varro Græcus: sed non absque auxilio & remedio. Tradit enim insultantem illorum aciem, lana radicibus obuoluta arceri, aut stercore suillo, vel cinere ficulneo eisdem apposito. Sunt etiam talpæ illis mirum in modum infensæ ac inimicæ: adeò vt crebrò illarum defossu & cuniculatione, cardueta ac cinareta ruinam irreparabilem senserint. Prodest eam in rem medijs carduetis catos frequentes habere ac educare, aut mustellas ibidem mansuefacere. Sūt qui in solido & sicco solo cinaras pangant, ne terra ab hisce infestis animalibus facilè perforetur. Auxilia qui volet alia, sese conferat ad ea quæ primo libro scripsimus. Hîc omissum nolim, quòd cinaræ folia qui ederint, quidquid lingua attigerint (etiam horis aliquot post) illis amarum censebitur. Qua ex re insignes vires ad multa, non secùs quàm carduus benedictus, habere fertur cinara, tam in folijs, quàm fructu & semine: in quam rem consule Alexikepū, hoc est, medicū & auxiliarem Hortum nostrum. Postremum id esto, Cinaræ folia lectulis respersa, vel eorum lignis attrita, cimices procul abigunt, vel enecant. Res & factu & paratu facilis, ac grata admodum quamplurimis, qui huiuscemodi olida & molesta animalcula ferre non possunt.

Radices cinaræ à muribus valdè expeti, & quomodo ab illis arceantur.

Talpę carduetis infensæ, quomodo expugnentur.

FLO-

FLORES AC PLANTAE hortorum odoratæ, & contrà.

Rosarum cura, auxilia, & secreta. CAP. XVI.

DE odoratis floribus nunc demum agendũ: in quorum albo quia rosæ floris ac odoris raro priuilegio nobilitãtur, & aspectu perquam iucundo ac vario hortorum ornamenta censentur, idcirco de illis primo loco dicendũ mihi pro posui. Rosarum multa habentur genera, in quibus frequentissimæ nobis sunt, albicantes, puniceæ, & quæ ex albo rufescunt, vulgò incarnatæ nuncupatæ. Præstantissimæ sunt, quæ puniceo colore rubent: proxima laus ijs quæ in rufum candicant. Vilissimæ omnium iudicantur albicãtes. In quarum tamen genere odoratissimas excipimus, quæ moscatæ & Damascenæ dici solent, diuitum hortis hodie familiares. Seri nolunt cuiuscunque sint generis, pinguibus aut agillosis locis, nec item riguis, contentæ raris: propriéque ruderatum amant agrum, vt scribit Plinius, volúntque virgulto pangi, scrobibus breuissimis, aut sulco, vt tradit Pallad. Quãquam semine etiã prouenire possunt, sed tardissimè. Quod vnum nequaquam esse putabis medium in rosa flosculum coloris aurei, sed quod Baccæ nutriunt in breuissimi pyri similitudinem tornatæ: quas per æstatẽ seminibus turgentes, quis non videt? quis, nisi fortassè alter fuerit Tyresias, non obseruat, coralli modo per autumnũ horrentia spinis rosaria

Rosæ hortorum ornamenta.

Locus & ager rosis cõmodus.

Quid semen in rosis.

ria variè illustrare? Fodi debent altiùs roseta quā fruges, & leuiùs quàm vites: idq; annis omnibus, non omissa interputatione: quæ Martio mense aggredienda est, pro cœli & soli conditione: hoc enim modo excultum rosetum, longo perennabit tempore. Quod si antiquatum fuerit, eadem etiam anni tempestate circunfodietur, aridáque superfluitas omnis præcidetur: & quę rara erunt ducta virgarum propagine reparabuntur, ex Palladij consilio. Plinius vstione ac recisione, rosaria quæque summè proficere scribit, adhæc translatione, ocysiméque prouenire tradit surculis quaternûm digitorum longitudine, & ampliore. Sunt qui integras plantas cum suis radicibus trāsferant. Alij palmares taleolas cum iisdem radicibus, sobolis modo, cubitali interuallo deponūt, & crebris irrigationibus ac stercore iuuant: necnon ad maiorem odoris fragrantiam, intertextas rosis coronas ijs simul adobruunt. Quod si plantarum indigus fueris, & volueris à paucis virgultis copiosa gigni rosaria, ex Plinij & Palladij sententia, gemmanteis surculos quaternûm, vt diximus, digitorum, paulóue longiores, cum suis sarmentutis excidere debebis, & in modum propaginis sternere, ac stercoratu rigationibúsque tueri. Vbi annum attigerint, pedis spatio inter se disiunctos transferes, & luxuriantem materiam omnem excludes, ac crebris defossionibus exhilarabis. Vita rosæ non recisæ, nec adustæ, ad quinquenniū durat, alioquin iuuenescit: ad cuius fragrantiam & iucunditatem, cœlum plurimū conferre creditur. Vnde serenis diebus collecta, odoratior esse solet: adhæc quæ nascitur in siccis, ruderatis & gracilibus locis. Si odoratissimā facere

Quomodo tractari debeant rosaria.

Rosaria optimè prouenire vstione, recisione, & tráslatione.

Quomodo ex paucis virgultis copiosa fiant rosaria.

Rosæ vitæ quinquennium.

voles, ex Græci Didymi consilio, hinc inde allia conseres: nam quæ ex frigiditate languescunt, calore exacui solent: Si præcocem, duobus palmis in gyrũ effodies, & calida aqua manè ac vesperi irrigabis. Sed id non antè aggrediendum multi arbitrãtur, quàm germinare calix inceperit: quem eo artificio nonnulli euocare solent. Si mensibus omnibus rosam tibi comparatur' es, autore eodem Didymo, mensibus omnibus plantare, stercorare, & rigare debes. Verùm id locum habere non potest in borealibus nostris regionibus: secus in calidis & temperatis. Præcoces rosas aliter tibi parabis, si cophinis aut fictilibus plantaueris & eadem cura tractaueris, quã præcoces cucurbitas ac cucumeres, vt suo diximus loco. Cæterùm, nondũ patefactas seruabis, vt scribit Palla. si in fissam viridem cannã calices immiseris, eamque leuiter papyro, aut cortice circùm ligaueris, & eo tempore excideris quo virides rosas habere volueris. Alij rudi olla conditas, & benemunitas sub dio obruunt, & sic custodiunt. Vita & vigor iisdem permanebit, si amurca ita immergantur, vt humor extet. Quidam ex Didymi præscripto, hordeum, dum adhuc in herba est, cum suis radicibus euulsum, in fictile non picatum demittunt: ibique rosas priusquam dehiscant, diligenter operiunt: viridésque quandiu volunt, ac si essent in rosario parente, custodiunt. Plerique virentem hordei segetem pauimento sternunt, & rosas in ea condunt. Florentinus inter Græcos geoponicos vbique admirabilis, tradit rosam in mali corticem posse inoculari, & malorum tempore sese proferre. Quæ res in alijs arboribus suũ etiam locum fortasse agnoscet: perinde atque in ve-

Quomodo odorata & præcox fiat rosa.

Quomodo mensibus omnibus rosa cõparetur.

Rosa præcox.

Quomodo virides seruentur rosæ ac recentes.

Modi varij seruandarũ rosarum.

Quomodo fiat rosa serotina, aut viridis.

veterano brasſicæ caule & ilice, in quem ſi roſa inſeratur, viridis euadet, ſed inodora, vt ſcribit Albertus. Quæ res facilem viam præbet experienti, cum his quæ de punicea roſa circunferuntur, nimirũ quòd candida fiet, ſi ſulphuris fumo imbuatur, dum in folia dehiſcens cœperit euolui. Sed de roſis hæc ſatis: quarum frutex rectè & appoſitè Cupidini dicatur: quẽ tota facie videtur repræſentare, quemadmodum ſcripſit Philoſtratus. Nam roſa ſemper recens ac iuuenis apparet in ſuo roſario, nec non blanda, vt Cupido: aureis preterea comatur capillis, vt ille: ſpinas pro iaculis geſtans, pro facibus fulgorem, & pro alis folia. Addo, quòd ſicuti roſam abſq; vulnere paucisſimi aſſequuntur, ita Cupidine abſque corporis, vel animi, aut fortunarum vulnere & iactura paucisſimi potiuntur, nimirũ quos æquus amauit Iupiter. Sed hæc extra hortenſem philoſophiam: ad quam potiùs refero, quòd flores tam roſacei quàm alij, in Sole, aut clibano, ſublato pane adhuc calente, ſiccati, colorem, odorem ac vires magis retinent, quàm in vmbra expoſiti, modò metam moræ non excedant. Idem de folijs & radicibus odoratis exiſtimare licebit.

Quomodo ex punicea roſa fiat candida.

Roſæ ad Cupidinem collatio perpulchra.

Quomodo optime ſeruentur flores.

Lilij cura, auxilia, & ſecreta.
CAP. XVII.

LILium roſis nobilitate proximum eſſe ſcripſit Plinius, medióque earum prouentu incipere: cui florum excelſitas de omnibus maior ineſt, interdum cubitorum trium: ſed languida ſemper ceruice, & non ſufficiente capitis oneri. Flos eius emaculato candore, & eximio odore, calathi

Lilium flores omnes excelſitate ſuperat.

calathi effigiẽ præ se fert: folijs ab angustia in latitudinem paulatim sese laxantibus, extrinsecus striatis, resupinis per ambitum labris, & emicantibus ex fundo calathi luteis staminibus, tenui filo crocatis. A quibusdam ob nobilitatem flos regius nuncupatur, & Iunonis rosa: nam ex eius lacte natus fertur, vt hoc tetrasticho doctè expressit Conrardus Gesnerus.

Dum puer Alcides diuæ vagus vbera suxit
Iunonis, dulci pressa sopore fuit:
Ambrosiumque alto lac destillauit olympo
In terras fusum lilia pulchra dedit.

Fœcunditas mira & penè inexplicabilis est in lilio: nam vna radix bulbos, sæpenumerò quinquaginta emittit. Quos Palladius circa veris initia ponendos, & cùm opportunum & tempestiuum fuerit, exactè sarriendos præcipit: idque summa diligentia, ne oculos circa radicem nascẽtes, minoresque bulbos sauciemus. Qui à matre subducti, atque in alios ordines digesti, noua lilieta formare solent. Purpurea lilia monstrificis, vt Plinius loquitur, hominum ingenijs, sic fiunt. Iulio mense scapi arescentes colliguntur, & in fumo lilia suspenduntur: dein nudantibus se nodulis in fęce nigri vini, vel Græci, mense Martio macerantur vt colorem imbibant: atque ita in scrobiculis feruntur, heminis fęcis circunfusis. Quod inuentum non Plinio, sed Anatolio Græcorum geoponico eximio ascribendũ censeo. Cuius verba è Græco in Latinum conuersa hunc habẽt sensum: Si lilia facere velis purpurea, dũ florẽt, cauliculos eorum decem, aut duodecim, cum scapis in fasces vel scopas colligato, & in fumo suspendito,

Quomodo fiant purpurea lilia.

Multa sibi Plinius ascribit quæ sunt antiquorũ.

dito, vt radiculas bulborum similitudine inibi iaciant & remittant. Cumq́ plantandi tempus appetiuerit, in fęce nigri vini macerato, donec colorem purpureum contraxerint, & eo intinctu affatim saturati fuerint. Mox scrobiculis fæce largiùs affusa depone, & purpureos liliorũ flores habebis. Eosdem rubros fieri affirmat Florentinus Græcus, si inter cortices aut micas cinnabaris infundantur: hac tamen obseruatione, vt bulbi nullo modo vulnerentur. Qui si alium quemuis colorem ebiberint, par erit eum lilia referre. Mirũq́ue est ita tingi aliquid, vt nascatur infectum. Priscis illis Græcorum & Latinorum obseruationibus suffragatur Hieronymus Cardanus, tradens nodos plantæ lilij camino suspensos absque folijs, & inde siccatos, si fæce rubentis vini obruantur, & in fimo cum eadem fęce sepeliantur, flores edere purpureos. Est sanè lilio tanta viuacitas, vt surculi eius suspensi, etiam radicem mittant. Cæterùm viridia ac recentia toto anno durabunt lilia, si cùm patentia nondum dehiscunt, & clausa silent, fictilibus nouis non picatis decerpta imponantur, ac operculo diligenter muniantur. Dum verò in vsum depromere voles, ad Solem proferes, cuius calorificum ac vitalem teporem simulatque senserint, statim expandentur ac dilatabuntur: quod secretum Anatolius posteritati scriptũ voluit. Nec omisit, quòd vicissim & varijs temporibus flores parient lilia, si bulbos eorum ita seueris, vt ex ijs aliquot duodecim digitorum altitudine obruantur: alij octo tantùm, alij quatuor duntaxat. Nam ita diuersis diebus ac temporibus suos dabunt flores. Quod etiam de alijs floribus fieri posse, ille idem pollicetur.

Quomodo fiant rubra lilia.

Quomodo fiant liliorũ flores purpurei.

Quomodo viridia & recentia seruentur lilia anno toto.

Quomodo lilia vicissim & diuersis temporibus flores producent.

H Vio-

Violarum cura, auxilia, & secreta.

CAP. XVIII.

Violis honor fuit summus apud antiquos post rosam & lilium. Quarũ genus omne hodie in hortis ac fenestris frequẽtissimum vbique visitur, in figlinis aut ligneis vasis, à mulierculis studiosè excultum. Flores cùm varietate colo-ris, tum suauitate odoris, tãtam cum oculis & naribus ineunt gratiam, vt in coronamenta, cum cæteris, omnium maximè veniant. Itaque altiles violas hîc paucis perstringemus: quas qui facturus erit, ex Columellæ consilio terram stercoratam & repastinatã, minimùm altè pedem, in pulvinos redigat, atq; ita plantas hornotinas factis scrobiculis pedalibus, circa ver in illis disponat. Semen duobus temporibus in areis seri potest, vere & autumno: sed postremum nobis ineptum habetur, qui cœlum tenemus frigidum. Colitur viola eo modo quo cætera olera: runcatur, sarritur, & dum tempus inuitat rigatur. Quę nigra est versicolor spectatur. Quòd sic in Rustico pulchrè expressit Politianus:

Violis maximam inesse gratiam in colore & odore.

Violarum cultura & satio.

Non omnis fert omnia tellus.

Nigra viola multicolor.

Nigraq́, non vno viola est contenta colore:
Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantũm.

Omnes cubitali altitudine prosiliunt, floribus quadrifolijs, vt est apud Plinium: nec vnius coloris, sed multorum: nam alij purpurei sunt, alij niuei, & alij lutei. Albæ vita trimatu peragitur: ab eo senectam sentiens plerunque degenerat. Gallis genera omnia innotescunt, partim violetæ nomine, partim garyophylli odore. In quorũ censu non modò prædictæ continentur violæ, albæ, inquam,

inquam, cœruleæ, pallidę, variegatæ & luteæ, ſed etiam purpureæ, quas Martias nuncupamus, ver plerunque nobis aperientes, odoris ſuauiſsimi, & coloris ſanè quàm iucundi: Si omnes omnium colores vnam violarum plãtulam referre cupis, ſingularum ſemina confuſa, in tenuem cannulã, aut detritum linteolum include, & terræ optimè ſubactæ ac ſtercoratæ, vt fieri ſolet, expone. Experimento id mihi ſæpenumerò probatum fuit ſumma cum voluptate, & pari admiratione. Sed hîc tacendum non eſt, quòd ſpectatiſsimus violarum flos, niſi quotannis ſitum loci mutare conſcat, in humilem ac degenerem floſculum, minúſque odoratum deficere ſolet. Poterunt toto anno florere violæ, ſi dum ad ſemen feſtinant capuli eis truncentur.

Viola martia.

Quomodo vna violarũ planta omnium colores referat.

Ocimi & Amaranti cura, auxilia, & ſecreta.
CAP. XIX.

HOrtorum plantas alias odoratas & coronarias, tam edules quàm non edules cũ fructicibus pergo deſcribere. In quibus primùm ſeſe offert hortenſe ocimũ (nam aliud eſt pabulare ocimum & ſegetarium) quod vſqueadeò notum eſt, vt perraræ vbique ſint ædium feneſtræ quæ illo longè latéque non redoleant. Huius tria viſuntur genera: vnum folijs amarãto maioribus: alterum, folijs & ramulis multò minoribus: tertium minutis & anguſtis: quod ab odoris fragrãtia & ſuauitate Italis baſilico gentile nuncupari vulgò ſolet: & à Serapione garyophyllatum ab inſigni odore. Vnde etiam ozimum rectè dici ac ſcribi poſſe contẽdunt multi, vt ſit ab ὄζω, quod

Ocimũ duplex.

Ocimi hortenſis genera tria.

Ocimũ vnde dicatur

gar vophyllatũ, ocimũ & basilicum.

est redoleo. Recentiores Græci qui de re herbaria scripserunt, Psellum sequuti, Basilicum id est, regium appellant, quod nomen apud nos passim vsurpatur. Sic fortasse dictum quòd in solis regũ hortis aleretur olim: vel quòd regibus ob odorũ præstantiam dignum esset. Teporem hæc planta desiderat: cuius semen vbi obrutum erit, paucula vel cylindro, aut aliter, sedulò inculcari debet. Nam si ei terram suspẽsam relinquis, ad corruptionem inuitas, vt scripsit Columella. Satorũ omnium celerrimè prouenit: putantq́; maturius erumpere si inter initia feruenti aqua fuerit conspersum. Quidam aceto perfundi iubent, si hyeme inclinante seratur: nam illius imbre rigatum, citiùs nasci creditur. Plinius ei tantùm aquã meridianam dandam præcipit, cùm cęteris oleribus horæ rigandi sint matutina atque vespera, vt libro primo admonuimus. Vbi ad palmi altitudinem venerit, rectè præciditur: licet ferro cum ruta, mentha & cunila, tangi diligenter vetuerit Sabinus Tyro, libro Cepuricon, seu hortensium, quem Mecœnati dicauit. Sub canis exortum acsi morbum sentiret, aut astrobolian expallescere deprehenditur. De quo rem miram narrat apud Palladium Gargilius Martialis (qui à Seruio in Georgicis Virgilianis librum de re hortensi scripsisse traditur) nimirum quòd modò purpureos flores, modò albos, modò roseos parit. Sed maiore admiratione dignum arbitror quod scribit Plutarchus, succinum solos ocimi surculos à se abigere, cùm leuissima quæque, & quisquilias omnes, attritu excalfactum, repentè moueat, & ad se pelliciat. Est & prodigio non minore dignum quod Theophrastus prodidit, ocimum

Quomodo serendum & tractandum ocimum.

Ocimum aqua feruenti & aceto gaudere.

Ocimum ferro tangi recusat.

Ocimi surculos succinum abigere, reliquos trahere.

mum lætiùs prouenire, si cum maledictis ac probris seratur. Quod etiam Plinius affirmat, & fortasse Persius hoc senariolo testatum voluit, Res mira & notanda.

Cum bene discincto cantauerit ocima vernæ.

Refert ille idem Plinius Chrysippum medicum grauiter ocimum increpuisse, & ob id hominibus fugiendum præcepisse, quòd capræ illud aspernentur. Quæ cùm cæteris pabulis omnibus auidissimè vescantur, ab hoc vno etiam famelicæ diligenter abstinent. Quod & à Sotione geoponico Græco adnotatum fuisse inuenio. Qui etiam vltra hæc asserit, insanos fieri qui ocimo vtuntur: additq; eum qui manducauerit, si eo die à scorpione feriatur, seruari non posse. In quem et Chrysippum pugnare videtur Plinius, scribẽs capras libenter ocimum esse, nec cuiquam mentem motam qui illud manducauerit: quin & terrestrium scorpionum ictibus ex vino & pauco aceto sumptum salubriter mederi. Dioscorides ex Afrorum placitis aliud videtur proferre: nimirum eos qui ocimum ederint, si à scorpione feriantur, nullo conflictari dolore. Has controuersias nonnulli componere satagentes, omnia ad tertium ocimi genus referenda censent: & ad incompositum, profusumq; illius vsum & esum. Vt vt fuerit, experiundo veritas elucescet, alioquin obscura. Quam tamen arbitror te in dubio malle relinquere, quàm periculum temerè subire. Autor est ille idem Sotion, commansum ocimum & in Sole positum, scorpiones gignere: vel vt legunt Dioscorides et Plinius, vermiculos aut vermes, qui fortasse in scorpiones tandem transeunt. Quod sanè mirum est, cùm dixerimus illud scorpionibus aduersari. Subdit idem Sotion fœ-

Capras ocimum etiam in fame aspernari.

Sotionis & Chrysippi sententia à Plinio impugnata.

Ocimũ scorpionibus aduersari.

Ocimum quomodo scorpiones gignat.

Ocimum fœminis aduersari, & pediculos creare.

minis ocimũ tanta antipathia pugnare, vt si pultario aut patinæ inscia muliere integrũ ocimum cum radice supponatur, futurum vt cibo nunquam manus admoueat priusquam subductum sit: ex quo misodulon vocari credit. Diodorus in Empyricis pediculos creare tradit, si quis eo largiùs vtatur, ob excrementitiam humoris superfluitatem quo imbuitur. Quinetiam volũt nonnulli, vt scribit Plinius, ad huius manipulũ cum decem cancris marinis vel fluuiatilibus tritum, scorpiones à proximo omnes conuenire. Cæterùm, Galenus nõ censet eos audiendos, qui promittunt ocimi trituram fictili nouo inditam & operculo vestitam, intra paucos dies scorpiones gignere, maximè si olla ad Solem quotidie incalescat. Sit pro capitis huius colophone quod apud Theophrastum legi, nimirũ ocimum quandoque degenerare in serpillum, aut sisymbrium, vt vult Palladius: præsertim si loco satum fuerit Soli exposito, aut transplantatum. Quæ res etiam vetustate illi solet contingere. Hieronymus Cardanus scribit, ocimum prima Luna tritum, & in nouam ollam inditum, sub plenilunio ab altero capite flores emittere: quòd si duplicato tempore sub terra defodiatur, strisiones generabit, nescio an scorpiones scriptum oportuit.

Ocimũ scorpiones congregare.

Ocimi degeneratio.

Mira siquidem vera.

Pulchra descriptio & pictura amaranti.

Amarantus pedali altitudine crescit, caule ferulaceo & subrubẽte, folijs ocimo longioribus, spica purpurea veriùs quàm flore, prorsus inodora, sed qua nihil aspectu gratius ac iucundius dari possit. Nam Tyrias purpuras suo rutilãti & flammeo nitore vincit: adhæc coccum quoduis, siue saturatũ fuerit, siue dilutum. Ex quo Gallis Passeuelutum vulgò nuncupari solet, quia cum holo-

holoserico coccineo, quod Carmesinum dicunt, de coloris præstantia certare videtur. Itali Fior-velutto appellant. Spica purpurea Plinio veriùs dicitur quàm flos, solo colore commendabilis, absque vllo, vt monuimus, odore. Gaudet decerpi, & quo frequẽtius legitur, hoc lætiùs renascitur: mirumq; illud est cùm defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hybernas coronas pulcherrimè nectit. Qua ratione in fictilibus seri solet à virgũculis, nomine Amaranti donatus, quòd non marcescat: ita Græcam nomenclaturam vsurpante Latio. Puellæ, furni tepore siccatum illũ ad coronarios hyemis vsus recõdere non cunctantur. Philostratus ex Amaranto sepulturas coronari solitas affirmat: idque Thessalos instituisse primos ad tumulum Achillis. Sed hæc de Amaranto satis, qui licet ad odoratas hortorũ plantas nõ attineat, his nihilominus illum ascribendum duxi, ob floris præstantiam coronamentis sanè quàm aptam & vbique receptam.

Amaranti mira venustas.

Vnde dictus amarantus, & eius vsus.

Saluiæ, Rorismarini, Satureiæ, Hyssopi, & Fœniculi cura, & auxilia.

CAP. XX.

TAM nota est hortensis Saluia, vt nulli prorsus hodie reperiatur horti in qbus illa passim non spectetur. Frutex est oblongus, surculosus, quadrangulares habens & candidas virgas, folia longiuscula, scabra, hirsuta, albicãtia, et vehementer odorata, sed vtcunque virosa: purpureo in spica flore, qui aquilini rostri falcatã speciem præ se fert. Ea quæ folio est leuiore, contractiore & minus squalente, nobis Franca saluia, & sal-

Saluiæ historia & pictura.

& saluia minor nuncupatur. Quæ verò solidiore constat, & scabriore, adhæc latiore ac si cultum senserit, vulgaris saulgia dicitur, & saluia maior. Seritur in hortis semine & surculo: cuius fruticem olitores lixiuij cinere muniunt, testantes lætiorem sic prouenire. Apricum amat locũ, quanquam frigora non abhorret. Vnde hybernis temporibus & viuere & iucundè virere percipitur, etiam si minimè operta fuerit. Qua tempestate, olerum premente penuria, iuribus passim innatat.

Quomodo seratur & colatur saluia, frigorũ patientissima.

Rorismarini historia & pictura.

Libanotis, quam officina & rura Rorem marinum appellant, & qua coronas vbique nectimus, folium fert tenue in exilibus virgis, crebrũ, oblongum, & gracile, pinnatum, herbaceum infrà, canum verò suprà: hoc est, intus candicans, et extra viride ac striatum: flore cœruleo, cui odor suauis inest, resinam aut thus vtcunque spirans, vnde illi nomen libanotis. Frutex est topiarius, & idem, vt diximus, coronarius: quo Narbonensis Prouinciæ tractus adeò scatet, vt ibi lignum aliud ferè non vtatur. Apud nos areas hortorum topiario opere eleganter conuestit: ita vt nullum non animal suffragante olitoris mangonio confingat. Democritus in suis Georgicis Græcis ferendũ præcepit viuiradice & ramis auulsis: sic vt in terram depacti humentur. Planta hæc nullum solum respuit, quæ tam iucundum ac gratum iaculatur odorem, vt quos animus defecerit, illico recreare possit.

Rorismarini vsus.

Quomodo seredus rosmarinus.

Satureiæ descriptio.

Satureia, Gallis sarrieta & thymbra dicta, in asperis gracilibusq; locis nascitur. Frutex est pedali altitudine, surculosis vtrinque coliculis stipatus: odore, saporéque gratissimo: & flosculis

per

per interualla ex purpura candicantibus, quibus valde oblectantur apes. Paulus duo genera fecit, syluestre ad eadẽ quæ thymus pollẽs: & satiuum quod viribus ignauius est, sed vsui cibario & gratius & aptius: quapropter in hortis frequens esse solet ad condiẽda obsonia: illud medicinis commodius, hoc cibis vtilius. Non sum nescius Columellam sentire thymbram à satureia nonnihil discrepare, nostratémque cunilam cum satureia confundere, vel pro ea potiùs vsurpare. Quod viderint eruditi: nam nostrum hîc non est istas componere lites.

Satureiæ genera duo.

Satureia & cunila Columellæ eadẽ.

Hyssopus plãta est fruticosa, altitudine pedali, folio cunilæ, floribus purpureis thyrsos spicæ vestientibus. Quæ Gallis vel hoc nomine nota esse solet, quòd in vsum condimẽtarium veniat, & recentibus fabis dum elixãtur, aut friguntur, iucundè remisceri soleat. Locum desiderat neque pinguem, neque stercoratum, sed apricum. Seritur semine & plantulis, quæ vbi prehenderunt, viuaciores esse solent, quàm vt hyemem ac niues reformident.

Hyssopi historia et vsus

Gelu ac niues hyssopũ sustinere.

Fœniculum hodie omnibus hortis valde innotescit: ferulacei generis est, in eam altitudinem plerunq; assurgens, vt hominis proceritatem exsuperet. Caule constat geniculato, fungosa intus medulla, & leui exterius cortice. Estq; planta tota odorata, muscarium gerens in summo rotundum, amplum, luteum & in orbem radiatim circinatum, in quo semen nudum dependet absque cuticula aut folliculis. Locum amat apricum & modicè saxosum. Radix ei candida, odorata & esculenta. Plantã hanc serpentes nobilitauerunt: nam gustatu eius senectam exuere traduntur, & oculo-

Fœniculi pictura elegans.

Quis locus fœniculo aptus, & cur a serpẽtibus fit nobilitatum.

oculorum aciem ſucco reficere, aperto ac inciſo caudice. Vnde intellectum eſt, vt ſcribit Plinius, oculorum quoque caliginem præcipuè eo releuari. Noſtrates folia fœniculi virentia panibus

Fœniculi vſus non ſpernendus.

& placentis quandoque ſubſternunt in clibano, ad odoris & incruſtationis gratiã. Adhæc piſces iis infarciunt, preſertim marinos, ad conciliandã ſaporis ſuauitatem, & fallendam marinæ auræ graueolentiam, delicatulis palatis plerunq; moleſtam. Fœniculum, vt autor eſt Cõrardus Geſnerus, dulce eſt futurum ſi terrá circa radicem effoſſã fimum bubulum ei iniiciatur.

Lauandulæ, Menthæ, Thymi, & Solſequij, cura & auxilia.

CAP. XXI.

Lauandula, quæ & pſeudonardus dicitur, duorũ generum apud nos eſſe ſolet: Vnum anguſtius adoleſcens & maiorem odorem ſpirans: quòd quia non minùs placet quàm nardus, idcirco apud nos ſpicæ nomen ſibi arrogauit, ex quo aſpicum vulgò nũcupatur. Alterum tum amplitudine, tum odore eſt minus, quod quia balneis & hominum lauacris expetitur, elotaq; omnia, ſi permiſceatur, odoris ſuauitate commendat, lauãda & lauãdula nominari ſolet. Illud mas, hoc fœmina multis eſſe creditur. Frutex eſt vbique naſcens, folio craſſo, carnoſo & anguſto, cui color languidus ad candidum vergens, frequentibus ſpicis in ariſtas ſparſim purpuraſcentibus, & alicubi albicãtibus illuſtratus. Gaudet apricis & petroſis locis, tanta ſuauitatis fragrãtia pręſtans, vt omnes flores quibus remiſcetur, odoris iucunditate

Lauandula, vnde dicatur, & eius pictura.

Loca lauandulæ & commoda: vbi de eius odore.

ditate prouocet. Qua dote vestibus inseritur, & scrinijs commendatur. Vterque frutex perpetua coma canescit: cuius spicata cacumina, & tõsiles vertices manipulatim in scopas & muscaria concinnatos vendere solent rustici ad varios odorũ, & vsus, vbi Solem aliquandiu sustinuerint. Hodie bigis & clitellis asinarijs per æstatem Lutetiæ venales vicatim proclamantur, & passim comportantur. Narbonensis Prouincia vtroque genere est fœlix, tam campis, quàm montibus. Fallũtur insigniter qui pro nardo Celtica vsurpant lauandulã: nam longè alia est plãta, vt alibi scribemus.

Lauandulæ spicata musc. caria, & eorum vsus.

Lauandulæ alia est à nardo Celtica.

Mentha nomẽ in Gallia retinet, & à plerisque Romana cognominatur, præsertim quæ est hortensis: cauliculos gerit lentè punicanteis & odoratos, flagellis lanugine pubescentibus, folio sisymbrij, sed longiore & molli, æstate herbaceo, hyeme subflauo, & vbique odorato: cui purpureus flos circa cauliculorum fastigia spicatur. Iuxta fontes rectè ponitur, cuius si fortè semina defecerint, licet de noualibus syluestre menthastrum colligere, & inuersis cacuminibus deponere: nam ita feritatẽ exuet, ac edomabitur. Planta hæc semel sata pluribus annis restibili fertilita te durat, grato mẽsis odore cùm in iusculis, tum acetarijs & plerisque condimentis. Hanc ferro non expedit tãgere, vt alibi docuimus. Apricum locum amat, sed non valde pinguem, nec stercoratum: seriturq; planta, vel radicibus, æstate virens, hyeme verò flauescens. Galenus duplicem fecit: vnam hedyosmũ, ac si odoratam mentham dicas. Alteram inodoram, quam calaminthам, alij menthastrum appellant. Hæc fera est & syluestris, illa mitis & satiua: quæ cultus mangonio humo-

Menthæ pictura & descriptio.

Mẽthæ satio & vsus.

Menthæ locus aptus.

Mentha duplex.

humorem sibi ascifcit, ex quo Venerem stimulare traditur: quod est omnium commune quæ semicocto humore ac spirituoso & flatuoso participant. Quæ res problematicum hoc Aristotelis adagium soluet, cur mentha belli tempore nec edi, nec seri debeat. Hoc enim cibo largè vescentes in libidinem ruunt, quæ corpus & vires frangit, ac animos eneruat. Rectè itaque Dioscoridi mentha Veneris auiditates cõcire traditur. Quæ res antiquos mouit, vt flagrante bello militibus menthã interdixerit. Vsu enim Veneris fortissimi quiq;, ceu effœminati ac molles, facilè torpescunt. De menthastro, seu syluestri mẽtha, quam nonnulli syluestre pulegiũ vocant, hîc nihil scribam, nisi quòd folijs eius manducatis & impositis, Plinius elephantiã sanari affirmat. Quod magni Pompeij ætate fortuito cuiusdam experimẽto facie illita, compertum fuisse scribit. Sed id ad nostrum Alexikepum pertinet.

Cur mentha belli tẽpore nec edi, nec seri debeat.

Menthastri vires in elephantiam.

Thymus & si magis conuenire videatur curãtibus aluearia quàm hortos, nihilominus de illo hîc scripturi sumus, quòd cõdimentorum & coronarum causa, etiam in hortis studiosè colatur. Duo sunt eius genera. Vnum candidum lignosa radice in collibus nascens, quòd præstantissimũ est. Alterum tam specie, quàm flore nigrũ, quod Aëtius cibis damnauit: nam intus receptum facilè computrescit, & biliosos humores creat. Qui triuialis est, surculosus frutex et dodrantalis esse spectatur, odore suauissimo, multis folijs ijsq; immortalibus comatus: flosculos gerens ex purpura candicantes, & capitella complicatarũ formicarum specie. Vulgus Gallorum Thym nuncupat: plerique maioranam Anglicam. Gracili solo & pe-

Thymi duo genera.

Hortensis thymi pictura.

& petroso lætius prouenit: vnde neq; pinguem, neque stercoratum, sed apricũ desiderat locum. Semine & planta prosilit, imò verò & flore sato nascitur, vt perhibet Theophrastus. Apiarij eo largè florescente prouentum mellis vberrimum certo sperant augurio. Nam flores apibus amicissimos creat, qui colorem & odorem melli addunt. Hinc Vergil.

Locus thymo accómodus: adhæc eius satio.

Thymus apibus gratissimus.

-redolent'q; thymo fragrantia mella.

Hîc non omittendum, ex eodem Theophrasto, quòd destruitur perit'q; flos thymi, si imber inciderit.

Solsequium, officinis Calẽdula, & vulgo Solsia nũcupatum, falsò à multis heliotropium esse existimatur, siue maius illud fuerit, siue minus. Non quòd Solem nõ sequatur, vt mox dicemus, sed quòd pictura ei planè repugnet. Nostratibus itaque Solsia nominatur, quasi solsequiam dicas. Fruticosa est planta, cauliculo dodrãtali, folio longiusculo, flore specioso, crocato & odoris non ingrati: ex quo in coronamenta passim venire solet. Nascitur potissimùm in cultis: adhibetúrque & condimentis & acetarijs. Semen haud dubiè scorpionem imitatur, maximè quà continetur in vagina. Vnde scorpioidem quidam esse putarũt, sed ineptè, meo iudicio, cum notæ scorpioidis illi non subscribant. Calendula apud herbarios dicitur, quòd singulis ferè mẽsium calendis florere, vel (vt alijs placet) fruticare deprehendatur. Rusticorum horologium quibusdam nũcupari solet, quòd matutinas, meridianas, ac vespertinas horas de circũactu illis indicet. Alij Solis spõsam dixerunt, & solarem herbã, quòd eius flores Solẽ ab ortu per meridiem in occasum se-

Hortẽse solsequium nõ esse heliotropium.

Solsequij pictura pulchra.

Cur solsequiũ calendula dicatur, & rusticorum horologium.

quantur, & notabili conuersione comitentur: ita vt quacunque cœli parte sedem teneat ille, in eam cõuersi flores spectent: eóque, etiam in nubilo aëre, dirigantur: ac si spiritu eius recrearentur, vigerent & agerentur: tantus syderis amor est: noctu eius desiderio, quasi mœrentes, contrahuntur, & meridie sese vndique explicant, ac si sponsam obuijs vlnis amplecti satagerent. Sed de his abundè scriptum in nostris Naturæ Arcanis, & alibi.

Mirus solsequij amor erga Solem.

Vettonicæ coronariæ, & Sampsuchi seu Maioranæ cura, auxilia, & secreta.

CAP. XXII.

Vettonicam coronariam (quæ inter flores superiùs erat describẽda) Gallorũ vulgus à floris figura, ocellum seu oilhetũ: vel ab odore, garyophylleam, nominare solet. Hæc tantam cum mulierculis iniuit gratiam, sui odoris iucũditate, & coloris præstãtia, vt perpaucæ reperiantur apud nos, quę in suis hortis, aut fictilibus vasis, fenestratim illam, cura admodũ diligenti, nõ foueant. Florem omnium speciosissimum profert, caryophyllorũ odoratu, sed longè suauissimo. Quorum alius cocco rutilat, alius saturata nitet purpura, alius niueo blãditur colore, alius verò vermiculato & vario applaudit aspectu. Omnibus teres, longiusculúsque calix conceditur, orbiculo superiore denticulatus, à quo folia prodeunt lentè fimbriata, in quibusdã frequentiore coma stipata, in alijs rariore, sed profundioribus incisuris crenata. Quæ cùm fuerint prorsus explicata, radiatum orbem circinãt per extrema serrarum, geminis vtrinque emicantibus stami-

Vettonica mulierculis gratissima.

Pulcherrima vettonicæ descriptio.

neis

neis apiculis. Non desunt qui sibi persuadeant, olitores radicibus caryophyllũ adegisse, vel factis stylo foraminibus inseruisse, quò iucundum odorem illum flores alliciant, & caryophyllorum suauitatem naribus expirent. Sic ex flore minùs odoro, quàm odoratissimus prodijt, humano artificio nouitatis semper studioso. Apud nos semine rariùs seritur: quin olitores ineunte vere & autumno, sobolem à radice copiosam eruunt, & patulis fictilibus, aut cadis, ligneisve fistulis pangũt in terra, putri fimo saturata. Et cum hyemis gelicidia premunt, sub tecto locis à frigoribus tutis recondunt. Cùm verò serenat cœlum, feruidusq; Sol illucescit, in apertum reuocant: & sub dio illic apricari sinunt. Si incesserit pluuia, aliquantisper madescere permittunt, & cœlestem imbrem haurire. Sed mirum est, quòd tam celebris flos, támque iucundus, à veteribus silentio inuolutus fuerit: qui pulchritudine, varietate, amplitudine & odore, rosa inferior non videtur: imò verò cum ea de principatu certat, illi nec colore cedens purpureo, candido, vermiculato, nec etiam odore, nisi quòd à longinquo plus olet recens rosa: cui decerptæ longissima mora dies esse solet: vettonicæ in quatriduum, & ampliùs, vita vigórque perseuerat. Folia insunt nonnullis quaterna, quináve, alijs rosæ modo numerosa. Prodigij simile est quod hîc referam. Si ad calendas Octobris, vettonicæ, violarum & similium plantulas cum radicibus, in vinaceis quibus cortices sint exempti sepelieris, aut in fimo equino identidem reparato, flores pulcherrimos tibi edet sub brumam atque ita in fragis, melonibus, & alijs experiri pote-

Quomodo conciliatus odor vettonicæ.

Quomodo & quando feratur vettonica.

Vettonica priscis incognita, quæ ne rosis quidem cedit.

Quomodo vettonica hyeme efflorebit.

poteris. Sed à frigore externo seruari debent: plurimùm verò sic cum fœtibus suis emoriũtur. Autor Hieronymus Cardanus. Hinc sanè admirari desino, quod solebam adolescens, dum vettonicã in vinarijs cellis & subterraneis locis, fruticare per hyemem, & fauente loci tepore flores parere obseruabam. Olitores in hortis multo lætamine paleato illam munire solent, ac circũuestire, vt ab iniuria gelantis, ningentis, aut grandinãtis cœli asseratur. Nam apricis plurimùm gaudet, ac Solis illustratione summè exhilaratur. Est admiratione dignum, quòd hæc planta vno anno florem parit candidum, altero purpureum, tertio colorum varietate promiscuum. Et quod multò mirabilius dici posit, vidimus ramũ eundem, niueum, purpureum, ac vermiculatum florem expromere. Quod cultus studio, aut soli cõmutantis vbertate, fieri solet. Quanquam multos id assecutos vidi, defixis in ouillam aut caprinam baccam, vel cãnulam fragilem, detritũmve linteolũ, diuersis vettonicæ seminibus arte compositis, & terra ac stercore diligenter opertis. Nã semina illa in vnam coalescunt radicem, quæ ramos florum varietate illustres emittit. Hoc loco non arbitror prætereundũ quòd vettonicæ flos, vnguibus detractis, acetum iucũdo sapore commendat, modò in Sole vitreis vasis maceretur.

Quomodo hyeme seruanda vettonica.

Quomodo colenda vettonica, quæ vno ramo flores diuersos emittat.

Acetum ex vettonica.

Cur sampsuchus maiorana dicatur, & vnde.

Sampsuchus seu amaracus vulgò maiorana dici solet, nomine à Latinis mutuato: fortasse quòd maiore cura ac diligentia seratur, colatúrque, quàm cæteræ plantæ. Vel quòd odoris maiore alijs gratia commendetur, & perpetua vireat coma. Seritur vtroque genere, nimirum semine & ramo: éstque magnoperè viuax planta, & cultura non-

ra nonnunquam arborescens. Diocles medicus & Sicula gens amaracum appellauerunt, quod Aegyptus & Syria sampsuchum. Video sanè inter vtrumque à Poëtis & Oratoribus, Dioscoride item & Plinio, nullum, nisi appellationis nomine, discrimen positum fuisse: licet in contraria sint sententia Claudius Galenus & Paulus Aegineta, multique recentiorum medicorum, qui longè aliter de amaraco sentiunt. Sed doctorum testimonio constat, hos & eorum sequaceis, amaracum pro parthenio vsurpasse: quod & leucanthen & amaracum appellari tradit Plinius. Sed lapsus is multò est euidentior, quàm vt redarguendi desideret: siquidem sampsuchus iucundo placet odore, illorum verò amaracus siue parthenium magnoperè viroso fastiditur. Vnde mulieres in vuluæ strangulatu illud salubriter odorari solent: ex quo matricariæ nomen ei indiderũt. Hîc nõ licet omittere, quòd mures radicibus maioranæ valde insidiantur, ceu medicamentum & auxilium ab his deposcentes.

Cõtrouersia de sampsucho & amaraco.

Priscos melioris … parthenio con… fudisse amaracum.

Bellij seu Bellidis, & Phlogij, hoc est violæ flammeæ & inodoræ, ad hæc Iridis, cura, auxilia, & secreta.

CAP. XXIII.

ET si duæ plantulæ sequentes, & earundem flores in cẽsu odoratorum ritè adnumerari non possint, scribam nihilominus de illis, vel ob id quòd in coronamenta veniant, & hortorum areas mira elegantia vestiant. Itaque Bellis seu Bellius trium generum esse conspicitur. Primum,

Tria esse genera bellidis

in hortis seritur, de quo hîc potissimùm agemus. Reliqua in pratis & campestribus nascuntur: de quibus nihil à me expectabis, qui hortensia & nõ campestria tracto. Venio ad rem. Bellius hortensis herbula est folijs longiusculis solo procumbentibus, in cacumine subrotundis & ad rotæ modum radiantibus, crassiusculis, per ambitum minutim serratis, è quorũ medio cauliculi prodeunt villosi ac flexibiles, flores anno ferè toto gestantes in cacuminibus versicolores ac inodoros, qui barbulis multis circinantur. Ex quibus alij punicei spectantur, alij emaculato candore placent, à quo Gallis margaritæ nomẽ adipiscuntur: alij verò mixtis coloribus applaudunt. Bellides omnes nostratibus Borbonijs Pasquetæ appellantur, quòd circa Pascha (vt opinor) oriri incipiant, vel quòd oculos grato colore pascant.

Picturæ bellidis pulchra & elegans historia.

Bellidum colores varij.

Autoris mirum ingenium.

Phlogion (quibusdam Trinitatis herba dictũ) violæ inodoræ genus illud esse mihi videtur, quod Gallicũ vulgus Penseam vocat, folio mercurialis herbæ per ambitum crenato, cauliculo triangulo intus cauo, leniter striato, & ex interuallis geniculatim foliato, prodeuntibus ex alarum sinu pediculis longis, in quorum capitellis emicant violæ figura purpurearum seu martiarum tribus flosculis summa parte latis, atráque purpura saturatis, et duobus infernè luteis ac angustis, lineolis quinque rutilo ignis fulgore radiantibus exaratis: à quibus phlogij seu flammulæ nomen illis, vt reor inditum fuit. Verè statim post purpuream violam se prodit plantæ huius flosculus, estq; coronis aptus, odore, vt diximus, nullo, sed colore vbique cõmendato: qui plurimùm durat, nam in autumnum prorogatur: imò

Violæ inodoræ descriptio

Pulchra & notatu digna.

Violæ inodoræ flos longæuus.

imò verò tepidioribus locis vbi cœlum arridet clementiùs etiam hyeme ſpectari ſolet. Venio ad tertiam plantam, flore pulchram & radice odoratam.

Iris cuiq; notiſsima eſt, folijs cōſtans gladioli, ſed maioribus, pinguioribus & latioribus. Vnde quibuſdam Galliæ partibus glaiutum, ac ſi diceres gladiolum, nūcupari ſolet: quòd folium in gladij ſpeciem mucronatū habeat. Caule nititur recto & ſemipedali ex cuius faſtigijs ſingulis inter ſe paribus, flores exeunt labiorum mutuo inflexu recurui, & coloris varij: nimirum candiduli, pallentis, lutei, purpurei & cœrulei. A qua varietate cœleſtem arcum exprimente, nomen cœleſtis lilij apud herbularios ſibi adoptauit: ac ſi rudimenta quædam arcus cœleſtis verſicolore linearum diſcurſu, in ſui calathi cōcauo, ob oculos ſpectantium ponere ſatageret. Rura alicubi flammam vocant: propter eaſdem, vt arbitror, cauſas, quas ſuprà in phlogio, ſeu flammea viola protulimus: quæ mihi ſpecimen videtur eſſe naturæ irin effingere condiſcentis. Radices fundit geniculatas, ſolidas & ſummè odoratas: quas ſub veris exitum terra erutas, plerique in orbiculatas taleolas diſſecant, & ſiccatas in vmbra, filóq; tranſſutas penſiles recondunt: aut lixiuio macerant ad exhauriendam & abſorbendam ſucci vim, quo tinearū iniurijs ſunt opportunæ, dein ſiccatas includunt: nam teredines non ſiccæ modò, verùm & in terra virides celerrimè ſentiunt. Plerique ita curatas armarijs imponunt, vt odore perquàm iucundo veſtes & lineam ſupellectilem commendent.

Iris pictura & vnde glaiutum dicatur.

Hortenſis iridis colores, & vnde cœleſte liliū dicatur.

Iris flamma quibuſdam dicta.

Pulchra & notanda de radicibus iridis.

Radices iridis armarijs & rebus illorum odorē conciliare.

Absinthij, & Abrotoni cura, auxilia, & secreta. CAP. XXIIII.

Sicut in hoc mundi theatro rerum omnium parens illa, iucundis tristia, & dulcibus amara remiscet, ita ego in hac hortensium historia, suauibus insuauia miscebo: & gratis ingrata: nimirum absinthij & abrotoni plantas, quæ tam odore, quàm sapore iniucundo, nulli placent. Absinthij genera tria esse constat, vnum vulgare, Gallis Aluina vocatum, ac si diceres aloina, ab insigni amarore aloés, quem præ se fert. Nostrates Borbonij Fortum, à forti & vehementi odore ac sapore nuncupant. Huic Ponticum Galeno maximè simile esse traditur, à Ponto nomen habens, vbi pecora illo pinguescere, & ob id sine felle inueniri autor est Plinius. Veteres huius folia paruulis dabant in fico, vt amaritudinem fallerent: aut illitis melle vasculi labris, eorum decoctum propinarent: quod Lucretius his versibus eleganter expressit,

Absinthij genera tria & vnde aluina seu fortum dicantur.

Notanda de absinthij exhibitione.

Ac veluti pueris absinthia tetra medentes
Cùm dare conantur. priùs oras pocula circum
Intingunt mellis dulci flauoq; liquore.

Alterum genus Seriphium vocant seu marinum, cuius semine medici vermibus & lumbricis corporis necem moliuntur: & ob id, semen contra lumbricos nuncupant. Gallicum vulgus barbotinam, & mortem vermium: quas appellationes officinæ egregiè norunt. Tertium Santonicum dicitur gentili regionis vocabulo: quod vt reliquis minus est, ita amarore multò mitius. Hodie in plurimis hortorum areis passim seri solet: imò

Semen cõtra lubricos & barbotina.

imò verò de coma acetarijs remisceri, summo ventriculi & hepatis commodo ac beneficio.

Abrotonum duorum generum esse conspicitur, vnum mas, alterum fœmina: vtrique amaritudo absinthij inest. Fœmina Dioscoridi quadam arboris specie fruticat, & ob id multis Cypressus appellatur, folijs circa ramulos minutim concisis candicans, & auri fulgore corymbis in fastigio rutilans, cui odor cum quadam grauitate subiucūdus adesse solet, & sapor amarus. Mas folijs constat non vsqueadeò albicantibus, estq; illius frutex surculosior. Galli Latinos imitati vtrunque abronum, duabus literis extritis nuncupant: adhęc custodem vestiarium, quòd armarijs sparsum vestes à tineis vindicet. Alsiosum est admodū tam hoc quàm illud: quare frigus multùm reformidat, Soleq; nimio læditur, suo se cacumine propagās. Theophrastus radice vel auulso ramulo, potiùs quàm seminio, germinare prodidit. Sed mirari licet cùm calida dote sit prædi-tum, cur frigus tantoperè horreat, & æstum non ferat. Idem Theophrastus rationem in infirmitate collocat: nam viribus tam cōtra frigus, quàm contra æstum, longè est impar.

Abrotonī genera duo.

Abrotonum vestes à tineis vindicare.

Abrotonum nec frigus nec æstum ferre.

Fragariæ, Frambœsij, & Grossularij vel Grossellarij, cura, auxilia, & secreta.

CAP. XXV.

DVM fœtus hortenses qui supra terram extant percurrebamus, fragaria describenda erat, quia verò tunc nobis, nescio quo fato, excidit memoriâ, hoc loco restituenda venit. Her-

Historia & descriptio fragariæ pulcherrimæ.

bula est fraga gerens (vnde nomen habet) & folijs tribus constans, quæ humi sine caule sparguntur, multis à radice lanuginosis pediculis exeuntibus, quorum alij flore candido coronantur, alij trigemino, vt diximus, comantur folio per ambitum serrato atque venoso: qui fructum gerunt exiguis moris haud absimilem, callosum, tenerum, rubentem (dum maturuit) & ex albo nonnunquam pallentem, ac gustu & odore suauissimum, Gallorum vulgo Fresa nuncupatum. Sponte nascitur in opacis, quasi aliarum plantarum vmbra gaudeat, & in hortis cultura tam grandis euadit, vt mora quæ in rubo nascuntur suo globulo æquare cernatur: hinc morum terrestre Virgilianus Seruius fortasse appellauit. Sunt ex fragis quæ diligentia & cura coloni è rubris in candida degenerarunt.

Fructus fragariæ pictura elegans.

Vnde magnus euadit fragariæ fructus.

Frambœsia quibusdam Idæus rubus esse putatur. Frutex est pumilus & humilis, spinis prorsus viduus, cui morum rubens appendet (vbi maturuit) Gallis Frambœsia appellatum, quod germano sapore, palato mirum in modum placet & applaudit. Vnde, cùm vinum generosum à sapore laudare volumus, olere frambœsiam aut fragum vernaculo sermone nostro dicimus.

Pulchra & notatu digna.

Grossularius vel Grosellarius, quantum mihi licet coniectare, veteribus silentio fuit obuolutus: quanquam non defuerunt qui Rhamnum esse dixerint, alij oxyacantham, sed temerè. Frutex est aculeatus, folio apij ferè, acinis candidis & in maturitate dulcibus, qui frequens hodie in hortis esse solet: cuius bacca non ingrata displicet acerbitate, magnámque init cum palato gratiam: quare diuitum ac pauperum iuribus innatare

Grossularij pictura pulchra

De grossularij baccá notatu digna.

tare solet, & in dulciarios panes ac farcimina passim transire: vere præsertim dum vuæ acerbæ locum supplet, quo nomine grauidis summè expetitur. Vulgus Gallicum, Grossularium vel grosellarium, & eius fructum Grosellam seu grossulam nominat, quòd grossulorum fici quandam præ se ferat imaginem. Bacca maturitate in cibū dulcescit, ac nonnullorum mensis inter postremos cibos apponi solet.

Vnde grossularij & grossulæ nomen.

Est in hortis alter frutex nullis planè spinis horridus, folio vitis pusillæ & iuuenis, rubentem vuulam ferens sapore subacido, cuius acini racematim congesti pendent, fastidium cibi discutientes, & more punici mali abeuntem appetentiam reuocantes. Nostratibus grossula seu grosella rubra, vel transmarina vulgò dici solet. Sunt qui putent à Mauritanis Riben appellari. Frutex iste in vsum topiarium venit, sepitq; eleganter hortorum puluinos & areas.

Grosellæ rubræ pulcherrima descriptio.

I 4 ANTO-

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS MEDICI, de Hortorum cura, cultu, auxilijs, & secretis.

LIBER TERTIVS.

IAMQVE alios vocor ad cultus, aliúmve laborem Hortorum: neque enim simplex genus, vnáve stirpis Hortensis soboles, ratio ac tãtùm vna colendi.

Epilogus superioris libri, cum parasceue ad frugiferarũ arborum historiam.

Proximo libro hortensia olera, edules itẽ radices, et herbaceos fructus, cum odoratis plantis & floribus, pro nostræ Mineruæ captu & modulo vtcunque expediuimus. Superest vt simili methodo et diligẽtia frugiferas hortorum arborẽs, vitæ humanæ accommodas, earundémque fructus hoc libro psequamur: siue molli tunica vestiantur illi, quos Græci geoponici oporas, Latini poma nuncuparunt: siue dura & forinsecus lignosa, quos itidem illi acrodrya, nostri verò nuces appellare solent. Opus sanè varium & impeditum, sed legi tamen & cognosci dignissimum: si minus scribentis ope, saltem sui contemplatione & indicibili voluptate, quæ comitem habet vtilitatem pari commoditati iunctam. Vt itaque tabulæ (quod dicunt) manum admoueam, omnium primùm de cura, studio, & auxilijs quæ arboribus in genere congruunt, pro mea tenuitate scribam: hinc mihi gradum facturus ad ea quæ seorsum & particulatim vnicuiq; arbori debentur, & propria sunt.

Latinis quid poma & nuces.

Autoris scopus & institutũ in hoc libro.

Horten-

Hortensium arborum præcepta quædam & auxilia generalia.

CAP. I.

QVisquis ille fuit qui scripsit hyemes serenas agricolis optandas esse, næ pro arboribus tam hortensibus & fructiferis, quàm alijs, vota non fecit, quemadmodum tradit Plinius: nam communia arborum vota esse solent, niues diuturnas sedere. Causa, non solùm quia animã terræ vanescentem exhalatione, includunt & cõprimũt, retroq; agunt in radices: sed etiam quòd liquorem sensim præbent purum ac lenissimum, quando aquarum cœlestium spuma esse dicuntur niues. Ergo humor ex his non vniuersim ingurgitans diluénsque, sed quomodo sititur stillans, velut ex vbere alit omnia, nequaquã inundans. Sunt itaque niues & tempestiua frigora arboribus & frugibus summè vtilia, sicuti (Deo opituláte) ostensuri sumus in nostro Opusculo de signis, causis, & præsagijs caritatis & sterilitatis annonæ. Niues itaque tam arborum quàm frugum firmitati plurimùm cõferunt, nam sic optimè germinant. Quod ad aquas attinet, opportunæ sunt quæ germinationem præcedunt: tum demum cùm educant poma arbores: nec protinus, sed iam valido fœtu. Quæ fructus suos diutius continent, longioresq; desiderant cibos, his serorinæ aquæ vtiles esse solent. Cæterùm, generis cuiusq; arboribus diuerso modo desiderãtur, alijs alio tempore maturantibus: quapropter iisdem imbribus quasdam lædi videas, alias iuuari, etiam in eodem genere. Sicut in pyris alio die hyberna quærunt pluuias, alio verò præcocia.

Arborũ vota cómunia.

Quas cõmoditates adferant niues et frigora arboribus.

Quando aquæ vtiles arboribus.

Aquas arboribus diuerso modo desiderari.

Sunt qui nocturnos imbreis diurnis præferant, quòd eos Sol statim non diripiat. Sed quomodo radicibus arborum admittenda sit aqua, & ibidem retinenda, audiendus est Virgilius.

Vt arbores aquam admittant, ex Virgilio.

Aut lapidem bibulum (inquit) aut squalenteis infode conchas:
Inter enim labentur aqua, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata.

Imbres arboribus cùm defloruere inimici.

Si diutius humidi blandiuntur austri, defatiscentes fiunt arbores, ac magis etiam in flore. Si cùm defloruere protinus sequantur imbres, in totum poma dépereunt, adeò vt amygdalæ & pyri, si omnino nubilum fuit cœlum, austrinúsve flatus suos amittant fructus, eodem Plinio autore. Qui etiam admonet arborem post collectos fructus purgari debere, amputata omni superfluitate, & ablatis truncorum propaginibus, vt leuior sit, adhæc habitior: & si nouella est, rectior. Quæ si delicatior erit, blandè tractari debet: nam rudi contactu faciiè obtorpescit. Iam quod ad positionem & sationem attinet, raris interuallis ponendæ sunt arbores ac plantandæ: vt cùm creuerint, spatium habeant, quo ramos extendant. Nã si spisse posueris, vt loquitur Columella, nec infrà serere quid poteris, nec ipsæ fructuosæ erunt, nisi interuulseris. Dum transferre volueris, antè quàm id aggrediaris, sedulò tibi notandum erit quibus ventis expositæ erant, vt simili situ illas componas & implantes. Quod dum facis, in imũ vsque scrobem, sarmentorum fasciculos crassitudine brachij debes demittere, ita vt supra terram paululum extent. Nam æstate paruo labore aquam radicibus per illos subministrare poteris.

Arbores à superfluitati bus purgari debere.

De arborum translatione.

ris. Sed optimum erit annum antè quàm plantare voles, scrobem fodere, vt terra Sole & pluuijs opportunè maceretur, & quod positum est citò comprehendat. Quòd si eodem anno & scrobem facere, & arbores serere voles: minimùm antè menses duos scrobem fodies, posteà stramentis incensis, vt vult Columella, calefacies. Quem si latiorem patentioremque feceris, lætiores, vberioresque fructus percipies. Scrobem verò clibano similem aperies: cuius imum summo patentius sit, vt laxiùs radices vagentur, ac minus frigoris hyeme, minúsque æstate calidi vaporis per os angustum penetret. Generatim autem sic arbusculas & arbores dispones, ne imbecilla à valentiore prematur: quia nec viribus nec magnitudine par esse potest, imparique temporis spatio adolescit. Addam ex M. Varrone quòd arbores ex ordine plantari debent, vt eas ex omnibus partibus Sol & Luna coquant. Porrò summè cauendum est, ne post rigidas tempestates, & violentas cœli iniurias, arbores ferro vulneres, vel amputes: præsertim quæ fructiferæ sunt. Quod pulchrè his versibus expressit Iouianus Pontanus.

Secreta pro arborum transpositione & plantatione.

Forma scrobis ad transferendas arbores: & de illarum dispositione.

Notanda & aduertenda.

Nā memini (inquit) cùm nulla arte is, nō arma doli,
Vim cœli aduersam ferrent, periere comanteis
Syluæ, ac obriguere gelu nemora omnia, cuncti
Horti dum furijt Scythicis aquilonibus aër,
Et caua consuetos tenuerunt flumina cursus:
Quod quando (auertat Deus ipse) rigentibus euris
Contigerit, neu tu gladio, neu cade securi
Arenteis hortos: sed calce, sed imbre madenti
Affer opem. hoc fac sæpè hyeme, hoc fac vere tepenti:

Secretū pulcherrimum pro arboribus gelu tactis.

Crede

Crede mihi non te fallet labor: inde repentè
Pullulat ab radice, aut summo stipite læta
Arbos, diffundens gemmas, & germine frondens.

Cauendum prætereà ne vna arbor, alterius stillicidium quatiente vento excipiat: pręsertim si diuersi fuerint generis. Adhæc ne ęstate radices contra Solem nudentur, aut ab eo feriantur: & ne hominis manu cacumina duriter tractentur, aut à pecoribus, capris maximè, prærodantur: nã in posterum capere incrementum nequeunt, maximè si tenellæ fuerint. Sed de translatione hîc paucis agendũ nobis restat ex Columella & Plinio. Arbusculæ omnes, priusquam transferantur, rubricâ sunt notandæ: vt cùm ponentur, easdem cœli parteis aspiciant, quas in suo seminario videbant: alioquin frigore, vel calore laborabunt ab his partibus quas præter consuetudinem sub alio tractu expositas habuerint. Erit ergo plaga cœli in translatis similis retinẽda, vt priùs adnotauimus, ne aquiloniæ partes meridianis oppositæ Solibus findantur: aut algeant meridianæ, aquilonibus obuersæ: quemadmodum scripsit M. Cato, & post illum Vergil. Latinæ agriculturæ doctor elegantissimus, his versibus:

Rerum arborearũ præcepta pulcherrima.

Translatę arbores situm propriũ seruare debent.

Quinetiam cœli regionem in cortice signant:
Vt quo quaq; modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obuerterit axi,
Restituant adeò in teneris consuescere multum est

Plerique arborem nec minorem bima, nec maiorem trima transferri præcipiunt, censentq; nõ negligendum ne radices mora marescant: néve à septentrionibus, aut ab ea parte cœli vsque ad exortum brumalem, vento flante effodiantur arbores:

bores: aut ijs ventis radices exponantur: nam ita emoriuntur, ignaris causæ agricolis. Proderit etiam, quàm plurimum terræ in qua vixerint arbores, radicibus cohęrere, ac totas cęspite circun ligari. ob id Cato in corbibus transferri iubet. Rigari debebunt quoties cœlestis imbris negabitur profusio, & ingẽs æstus perseuerabit: nam ita maioris incrementi fructus dabunt, ac vegetiores, lætioresq́ʒ euadent. Amant nonnullæ circunfodi, & ablaqueari: quod si non præstetur, aut sterilescunt, aut à sua natura degenerant. Sunt quæ tam siccis quàm humidis locis musco infestentur: quem nisi ferramento deraseris et abstraxeris, nec fructum nec lætam frondem emittent: debent itaq; diligenter emuscari, nisi quid aliud peculiare præpedierit. De morbis & laboribus arborum scribendum aliquid superest.

Radicum in arboribus summa ratio habenda.

Arborum rigatio.

Arborũ ablaqueatio.

Arborum emuscatio.

Arborum ac stirpium hortensium morbi, labores & impedimenta aliquot.

CAP. II.

Laborant, impediuntur & ægrotant arbores, vt stirpes aliæ, modis multis. Quædam in ipsa seminum proiectione: aliæ in pullulatu & germinatione: multæ in flore: nonnullæ in gestatione, partu & educatione, vel aliter, vt posteà dicemus. Idq́ʒ vel à syderatione, carbunculatione, rubigine, pruina, nebula, grandine, imbre, frigore, flatu, coloni imperitia, soli vitio, æstu, vulnere, erosione, cruditate, obesitate, tabe, repletione, peste, vermiculatione, atrophia, siccitate, formicatione, & alijs. Sunt itaque arborum ac plantarum,

Varijs modis arbores ac stirpes laborare.

Iniuriæ arborum diuersę. tarum, siue domesticæ illæ fuerint, siue agrestes, iniuriæ diuersæ, morbi multiplices, ac incommoda varia. Quorum primas tenent syderatio, carbunculatio & rubigo: de quibus in fine libri primi nonnulla scripsimus, fusius de his philosophaturi in nostro opusculo De causis & signis sterilitatis annonæ. Vermiculantur inter stirpes

Arború vermiculatio. alię magis, alię minùs, quod aues caui & marcidi corticis sono experiuntur. Sunt quæ vermiculis omnis generis infestantur, vt puerorum & adultorum corpora: ex quibus plerunque contingit atrophia, tabes & mors. Laborant nonnullæ plethora seu plenitudine: quæ sæpenumero comitem habet cruditatem ob redũdantis humoris copiam. Nonnunquam etiam fame, ob eiusdem inopiam & paucitatem: adhæc obesitate, vt nimio adipe animalia, ob immodici alimenti luxuriantem prouentum: & interdum tabe ac marcore, ob eiusdem parsimoniam, defectum vel prauitatem: aut cùm macie corticis ex ægritudine astringente se, vitalia arborum plus iusto comprimuntur. Alijs contingunt vulnera, contusiones, fracturæ, luxationes, partium debilitates: quæ societate nominum, cum hominum morbis & miserijs quoque conueniunt. Hinc trunca dicimus arborum & herbarum corpora, & germinum oculos exustos, & multa alia sorte simili. Sunt etiam quæ clauum patiuntur, seu fungum, à superassato, aut addensato & lapidescente succo: quales sunt in hominum & animalium corporibus tophi ac nodi. Scabies arborum omnium communis est affectus: quæ lentis roribus & nebulis post exortas Vergilias gigni solet. Particularis quarundam est impetigo. Verùm vt in homi-

Plenitudo fames, obesitas & tabes arborum.

Arború vulnera, debilitates & alia.

Arború claui & fungi.

Arború scabies & impetigo.

hominibus neruorum extrema cruciatus sæpè obsident, ita & in arboribus: aut enim in pedes, hoc est radices, vis morbi erumpit, aut in articulos, hoc est, cacuminum digitos, qui longissimè à toto corpore exeunt. Priuati generum morbi sunt pestis, ceu lues quædam: quæ sicuti inter certa & peculiaria duntaxat animalia nõnunquam grassatur, ita inter certas & priuatas arbores plerunq; locum habet. Vnde modò pyri, modò pomi, modò cerasi, nunc nuces, aliàs pruni, quandoque persici, aut amigdali de alijs arboribus solæ laborare, sterilescere, ægrotare, aut vexari & languere obseruantur. Est & articulatio illis perinde atque vitibus, morbus grauis ac perniciosus, vi tempestatum germinibus ablatis, & in supinũ, vt scribit Theophrastus, excisis: vel culturæ seu colendi imperitia læsis. Quæ omnes iniuriæ in articulis sentiuntur, ex quo articularis morbi, seu articulationis nomen. Aegrotant & plerunq; languent colentium culpa, quando ictu iniurioso à colono verberantur, aut intempestiuè cęduntur, vel ineptè defrondantur: adhæc quando olitor aut arator imprudens radices laxat, corpúsue de squãmat: vt interim ab hebetiore ferro contusionem, ac parum apti instrumenti vsum, ipsiúsque coloni imperitam audaciam hîc reticeam, quibus causis æstum ac frigora difficilius tolerant: nam iniuria omnis extrinsecus adueniens, in vlcus facilè penetrat. Pessimum est inter omnia, cũ deflorescentem arborem percussit grando: aut imber inuasit, vel validus vẽtus perflauit, aut frigida nebula vel pruina descendit. Quæ postrema omnium perniciosissima esse solet: quoniam lapsa semel & admissa, obstinatè hæret, vt alibi docuimus.

Pulchra.

Arborũ pestis & lues.

Arborũ articulatio, ceu articularis morbus.

Arborũ iniuria à colono.

Arborũ labores ac impedimenta à cœlo & aere.

Arborũ debilitas.

cuimus. Debilitas in multis ſterilitatem adfert, ſed non necem, vt ſi quis cacumen aut germen auferat: ſic enim ſterileſcunt ſtirpes, licet non emoriantur. Aliquando fructus tantùm laborát, ſalua & incolumi arbore: maximè ſi neceſſarijs et opportunis temporibus, imbres, tepores, vel ſalutares afflatus defuerint, aut intempeſtiua frigora, ardoréſve negotium fecerint: nam ita decidunt fructus, vel emaciantur, aut flacceſcunt, vel deteriores fiunt. Eſt & aranea cõmune arborum vitium & malum, quando tenellum fœtum veluti telæ quædam inuoluunt & abſumunt. Sunt culicum genera aliquibus moleſta, qui naſci vidẽtur ex dulci humore corticibus ſubdito. Erucas, vermes, pulices agreſtes, formicas, cantharides, limaces & beſtiolas alias hîc prudẽs omitto: Quarum ea eſt natura, vt detonſam, corroſam, caluam & depaſtam arborem aut plantam turpi facie, quẽadmodũ ſcripſit Theophraſtus, & moribundæ ſimili relinquant. Quæ lues ab humido & lento tepore gigni maximè ſolet. Pix, oleum, & adeps, nouellis arboribus ac plãtis inimica eſſe cenſentur: eſtq; cortex in orbem detractus omnibus mors, excepto ſubere & andrachne: niſi corpus arboris ſimul lædatur, aut profundè incidatur. Similem rationem in multis habet decacuminatio, quæ aut mortem, aut tabem conciliat. Similem quoq; quorundam animalium eroſio, delinctus ac depaſtio: nam oleã ſi lambat capra, ſterileſcere autor eſt M. Varro, vt ſuo loco dicemus. Sunt quæ hac iniuria moriuntur, aliæ deteriores tantũm fiũt. His addo quòd arborum pleræque fiſſa ſtirpe, aut trunco ſæpenumerò laborant, et quandoque intereunt, exceptis malo, fico

Arborũ vitiũ aranea.

Arborũ mala & iniuriæ a beſtiolis.

Arboribus inimica & mortifera.

Decacuminatio, eroſio ac depaſtio.

& pu-

& punica. Radicibus amputatis, omnibus & arboribus & plantis mors instat certissima. Cæterùm densitate & alimenti rapina, vt loquitur Plinius, nonnunquam etiam ægrotant, ac tandem deficiunt. Sic vinciens et præstringens hedera necat, nec prodest viscum, cytisus, & quod Græci halimon vocant. Lædũt quędam & vicissim læduntur vicinia & succi mistura, vt laurus & raphanus vitem. Hoc de omnibus postremum sit, Nitrũ, alumen, calida aqua, marina item, & fabæ ac earum putamina, nec non alia multa, libris superioribus scripta, & tum demum scribenda, arboribus ac herbis vltima plerunque solent esse exitia. Superest vt iam dictis arborum morbis, laboribus ac impedimentis, certa remedia, auxilia & præsidia, si non omni, saltem bona ex parte proferamus, ab antiquis scripta & obseruata, nobis verò ac amicis nostris cognita, & in multis probata.

Radicũ amputatio omnibus arboribus mors esse solet.

Notanda de extremis arborum exitijs.

Autoris summa diligẽtia & iuuandi prona voluntas.

Hortensium arborum ægrotantium, aut aliter laborantium, remedia quędam, & secreta vniuersalia. CAP. III.

Didymus in Græcis agriculturæ Pandectis tradit, quòd si ægra fuerit arbor quæuis, illius radicibus affundi debet amarca aquæ remista æqualiter. Plinius summum præsidium esse dicit, fæcem vini, aut aquam lupini decocti circunfundere, vel lupinum ipsum circa radices serere. Si emaciata fuerit & languida, habitior fiet, si radices circumfossas, & item truncum, vetere vrina humana, eaq; virili, vel pecorum lotio imbueris: Illæsam, et à vitijs arboranijs immu

Remedium arboris ægrotantis.

Arbor emaciata & languida quomodo curetur.

 nem

Vt arbor stet illæsa. nem habebis arborem quamuis, si bubulo, taurnóve felle, radices illius perfuderis, aut fabarum vel aliorum leguminum paleis circumpositis, aceribúsve frumenti respersis, easdem radices vestiueris, & regesta terra adiuueris. Si Caniculæ

Contra Caniculæ æstũ & syderationem. æstu fatigatur arbor, & ob id syderari periclitatur, trium fontium singulos sextarios post Solis occasum radicibus iube influere, sed ita ne remedium Luna deprehendat. Vel herbam symphoniacam (quæ Apuleio eadem est cum Apollinari & hyoscyamo) circa truncum arboris, coronæ modo, intorque. Vel ex ea iuxta imum caudicem

Remedium syderatæ arboris. cubile facito. Si fuerit syderata arbor, & veluti tabe ęgrotans, vnguento delibutam quasi reuiuiscere obseruabis, vt scripsit Græcus Democritus in suis rei rusticæ Cõmẽtarijs. In quibus etiam

Ne aues arborem impetant. admonet, arborem ab alitibus non impeti, quæ alliorum fasciculum suspẽsum habuerit: aut falce putatoria allio perlita, expurgata fuerit. Si florum largo prouentu luxuriando nullũ ferat fructum, querno vel fagineo palo radicum foramini impacto, & terra occultato, velut inita fœcun-

Præsidia arboris infrugiferæ. dabitur. Proderunt & fabaceæ paleæ, trunco ad radices circumiectæ, quemadmodum scripsit Zoroastres in suis de Agricultura præceptionibus Græcis, in quibus superstitiosa nescio quæ pro eadem re adfert, ridenda potius quàm docenda.

Remedia alia arborum parum frugiferarum. Columella arborem terebrare præcipit, & in foramen viridem oleastri taleam demitti: nam ita arbor velut inita fœcundo semine fertilior euadet. M. Cato amurcam æquis partibus cum aqua remiscendam censet, deinde arbori circumfundendam. Quæ si maxima erit, commisti amphora vna satis erit: si minor, pro ratione fundẽdum erit.

erit. Si arbores etiam feraces fuerint, hac miscellanea meliores quoq; fient. Africanus inter Græcos geoponicos celebris, portulacā & tithymalum probè contusa & mista, arborum truncis illinebat, vt fœcundiores adolescerent: hísque columbinum fimum nonnunquam addebat. Quæ si, veluti ægrotantes, fructum defluum habebāt, nec retinere poterant, Sotion Græcorum hortulanus diligens & peritus, Lolium quod zizaniorum nomine venit, cū radicibus euulsum in coronæ figuram efformabat & arboris trunco circundabat, vel marinos cancros paguros nuncupatos eidem circumligabat, aut plumbea corona amplexabatur. Præterea, radicem ablaqueabat, eámque perforabat, & cuneum ex corno immittebat, terra circumaggesta. Quidam nudatas radices aliquot crassiores ac maiores findūt, & fissuræ filicis fragmentum immittunt, deinde ligāt & accumulata terra rursus adobruūt. Palladius rubrica aut amurca infulsa, aquæ remista arborē illinit. Vel cancrum fluuialem cum rutæ ramo, aut lupinorum fasciculum eidem suspendit. Hæc sunt antiquorum obseruationes, quæ defluos arborum fructus continere possunt. Quibus si flores etiam decidere percipiantur, aut folia, hūc in modū auxiliaberis ex Quintilliorum Græcis georgicis. Circunfossis radicibus, palearū fabacearum aqua temperatarū & maceratarum mensuram magnam magnę arbori, paruam verò paruæ circumpones, & ita defluuio laborantem curabis. Si à vermibus infestabitur arbor, de Florētini consilio sic illam defendes: Lemniam terram quam sigillatam vocant, & origanum cum aqua tere, eáque miscellanea radices illine, aut scillam

Auxilia arborum habentiū fructus defluos.

Remedia eam in rem alia.

Arbor quæ deciduos habet flores, vel folia.

Arbor quæ à vermibus infestatur.

in circuitu plāta. Si verò piceos paxillos circa arborem defixeris, tabescent vermes ac decident. A quibus etiam suillum stercus vino dilutum illæsam seruabit, sicuti scripsit in suis Græcis georgicis Didymus, modò illud circa arborem frequēter inijciatur. Quod etiam præstare potest, columbinum stercus, nudatis radicibus circumpositum. Adhæc taurinum fel, iisdem frequenter ingestum: nam ita neque citò senescet arbor, neque vermes facilè producet. Palladius fæces veteris vini per triduum affundit. Auxilia aduersus arboreas formicas, erucas, muscas, & bestiolas alias, larga & liberali manu tibi protulimus libro primo, quem vbi voles, & quoties opus erit, consulere poteris. Superest, vt reliqua suo ordine particulatim expediam.

Ne vermes producat arbor.

Multa ex primo libro huc proferenda.

Arboris mali, eiusq́; pomi, cura, auxilia, & secreta. CAP. IIII.

Malus arbor, lippis, quod dicunt, & tonsoribus, cognita, pingue ac lętum solum desiderat: & cui humorem non tam rigatio, quàm natura suppeditet, vt scribit Palladius. Quòd si arenosum, vel argillosum fuerit, rigationibus iuuabitur. Potest etiā in macro & arido solo prouenire, sed ex eo poma dabit vermiculosa & caduca, in frigido itidem & humecto, si cœli tepor adfuerit. Stercus ouillum non tantùm exigit, sed & libenter assumit, etiam si pulueres cineris misceantur. Aptissima est ei putatio, vt arida & malè nata tollātur, cùm illi vita sit alioquin breuissima: sed vt citò cadit, ita velociter crescit: quæ quò annosior fuerit, eò deteriorem, minoremq́

Malus quale solum desideret.

Poma vermiculosa.

Putatio malis aptissima

ac vermiculosiorem fructum feret. Siccitatibus vespere rigari appetit quotidie, vnde quòd potu indigeat hæc arbor, hinc illius fœtus poma dici putat Marcus Terentius Varro in suis de Agricultura præceptionibus & Commentarijs. Tentatur quandoq; syderatione & vredine, his præsertim locis quæ à venti flatu silent: sed omnium maximè vermiculationē sentit, hoc est vermium erosionem. A quibus immunis erit, si, vt præcedenti capite scribebamus, scilla circūposita fuerit. Quos si hæreditarios habuerit, felle bubulo, vel suillo stercore misto humanæ vrinæ, & radicibus affuso extinguentur, sicuti ante Palladium Anatolius Græcus in suis rusticæ disciplinæ præceptis diligēter adnotauit. Nec temerè, mea sententia, nam hæc arbor mirū in modum lotio recreatur, cuius rigatu crebrò iuuari certum est. Si verò negotiū exhibere perrexerint, cortex æreo clauo, vel scalpro, vt Palladius legit, fodicandus erit atque vellicandus, donec mucrone vermes tacti radantur & deturbentur: sed vlceratum locum bubulo stercore obducere licebit. Porrò, si generosissimæ quæque malorum plantulæ, taurino felle radicibus admoto, ita scrobibus imponantur, vt cacumen tantùm super terram extet, à vermibus immunes prorsus erūt, cùm fructibus qui inde nascentur, eodm Anatolio autore. Qui etiam morbos quosuis ægrotātis mali curat stercore asinino aqua macerato, & sex diebus, occiduo Sole, ad radices irrigato, idque frequenter, & per interualla, donec germen erumpat. Si fructum multum eam parere cupis, & sobolem numerosam proferre, sectum plumbei tubi seu canalis os patulum, sic vt circulum ducat, caudici

Rigatio æstate malis vtilis.

Syderatione & vredine tentatur malus.

Remedia aduersus vermiculationem.

Pulchra machinæ pro abigendis vermibus ab arbore mali.

Remedia ægrotātis maci.

Vt malus sobolem profe

rat numero-sam. altitudine pedis à terra circunducito, & cùm mala cœperint adolescere, vel arbor ipsa florescere, torquem illum & circulum eximito, idq; quotannis facito, vt fœcunditatem arbor recipiat.

Ne pomifera arbor rūpatur pondere grauata. Cæterùm, quia pomiferis arboribus, vti etiam alijs, frequenter vsu euenire solet, vt degrauatæ fœtuum pondere, laborare videantur, adeò vt nonnunquam rumpantur incuruati rami (sicuti hoc disticho adnotauit Ouidius,

Aspice curuatos pomorum pondere ramos,
Vt sua, quod peperit, vix ferat arbor onus.)

furcis suppositis oneri impares fulciendæ erunt. Quod in nucis historia non prætermisit idem Ouidius:

Pomaq; læsissent matrem (inquit) nisi subdita ramo
Longa laboranti furca tulisset opem.

Vt malum aut pomum aliud imaginem quamuis referat. Africanus Græcus in suis Georgicis scriptum reliquit modum, quò vel humanam, vel animalis, aut rei alterius, imaginem induet malum in sua adhuc arbore pendens, vel pomum aliud quoduis. Gypso (inquit) aut figulari luto quamcunq; voles insculptam imaginem tege: & in duas parteis apto instrumẽto, ea industria seca, vt iterum illæ ritè coniungi possint ac committi. Deinde in figlina excoque: cùmque malum ad dimidium peculiaris incrementi peruenerit, hisce formulis include, validisq; vinculis firmiter obstringe, ne fictiles typi diuellantur auctu obuoluti mali. Quod vbi capacitatem illorum expleuerit, tales animalium figuras repræsentabit, quorum & habitum & imaginem ibidem monstrari visum tibi fuit. Quæ res in effigiandis malis non solùm locum habebit, sed etiam in pyris, cotoneis, persicis,

cis, citrijs, punicis, aurantijs, limonijs & reliquis pomorum generibus. Quod hîc semel dictum velim, ne dum per varias pomorum classes spatiabor, illud identidem molestè repetere cogar. Verùm enimuerò oportet vasi & fictilibus typis perspirationem aliquam relinquere, hoc est foraminula imprimere, quibus aërē admittant & emittāt, alioquin putrefactioni facilis parabitur via, licet multi aliter sentiant. Si dulcia mala fieri desideras, stercus caprinum vrina humana dissolutum cum veteris vini fęce radicibus infunde. Si imputria habere voles, felle viridis lacertę inungatur caudex: erit & hoc aduersus formicas remedium prętantissimum. Si caduca fuerint mala, fissæ radici lapis impactus illa retinebit. Quæ si ramos spissiùs onerabunt, vt disrumpi periclitentur, interlegenda erunt, quæ vitiosa videbuntur: vt generosa copiosiore alimento gaudentia, maiori incremento luxurient, vitiosis alimoniā amplius non surripientibus: aut furcis adiuuanda erit arbor, vt anteà diximus. Quæ si imbres metuet, Solis exortum spectare debebit, Plinio autore, vt eos Sol statim diripiat ac reficcet.

Autori molesta vbique repetitio.

Vt dulcia fiant mala, adhæc imputria.

Vt mala non sint caduca, & onere nō rumpatur arbor.

Si tibi sit cura grandeis educere fœtus,
Et patulas implere manus: age, decute ramis
Crescentem sobolem, è multis vt pauca supersint
Poma: sed & maiora loco, & magis auspice nota.
Vberiore etenim succo latabitur hæres
Fraterni lactis, vacua dominator in aula.

Vt grandes fœtus producat arbor mali.

Quod vnum deinceps ad reliqua pomorum & nucum genera, prudenter etiam accommodare tibi licebit, vt à crebris repetitionibus, quas semper habui molestas, opportunè me liberes. Si rubra

bra poma nasci desideras, arbor vrinæ humanæ rigatu satietur, quemadmodum scripsit Berytius in suis de rebus agri præceptis. Non desunt qui rosas puniceo colore rubenteis sub arbore mali vndiq; ferant, & ita rubra mala fieri promittant. Alij palos in terram defigunt, hisque pomiferos ramos citra vulnus incuruatos alligant: & iuxta illos vasa vel scrobiculos factos aqua implẽt: satagentes vt meridie solaris radius in aquam illabens calidum vaporem euocet, qui refractu in fructus resiliẽs, ex calore rubrũ colorem eis conciliet. Qui re vera absque vllo mangonio & artificio his partibus maximè solet inesse, quæ Phœbum recta intuentur & meliore diei parte illum excipiunt. Nonnullis sanguineus color peculiaris inest, tracta origine ex mori insitu. De malorum nomenclatura, omnibus ferè nationibus varia, varioq; insitionum adulterio, hîc nihil à me expectabis. Omnia seminis nigrore maturitatem fatentur: suntq; legenda circa autumnale æquinoctium: pro cœli, soli, et arboris cuiusque natura: nec ante xv. Lunam, vt scribit Plinius: idque cauta manu, ne contusione, aut vulnere aliquo lædãtur: separatis cadiuis, putrescentibus ac vermiculosis, à præstantibus & generosis. Seruabuntur optimè tabulatis extra fumum & graueolentiam in loco frigido & septentrionalibus fenestris aperto: quæ sereno die patenteis lucem accipere debent, exclusis austris: nam aquilonibus multò nocentiores fructibus esse solent: à quibus poma quæq; rugis deturpari certum est. Seruãtur prætereà in frigido & arido loco supra paleas, vt scribit M. Varro. Ideo qui oporothecas faciunt, ad aquilonẽ vt fenestras habeant & aëre perflen-

Vt rubra fiant mala. *Pulchra & notatu digna.* *Quando matura dici debeant mala: & quo tempore decerpenda.* *Quomodo seruanda & reponenda mala.* *Loca apta seruandis malis.*

perflentur summè curare debent. Plinius folijs ficulneis singula, præterquam caduca & vitiata conuolui iubet: cistisque vitilibus condi, vel creta figlinarum illini. Apuleius Græcus in suis geoponicôn præceptis, adhæc Columella, Plinius, Palladius, & alij rei agrariæ doctores, eam in rem multa posteritatis memoriæ diligenter mandauerunt. Ex quorum Commentarijs sequentia tibi libentissimè selegimus. In olla fictili cera interius inducta, & bene operta, multi innocenter poma custodiunt. Sunt qui creta aut figulina terra singula incrustent, siccent, ac ita reponant. Seruantur etiam integra, vegeta & longo tempore incolumia, substratis nucum folijs non caducis: quibus & odori & colori perquàm bellè consulitur. Quod melius cedet si folijs ipsis conuoluantur, & foliatis nucum frondibus tegantur. Multi arculas singulis pomis assignant. Alij in tabulis supposita palea disponunt, & stramentis superiori parte operiunt: ac ita componunt vt limites peruij spiritum æqualem accipiant. Palladius in locis obscuris, vbi ventus non sit, stramentis prius in crate subiectis, cumulatim secreta disponit, & cumulos frequenti diuisione separat. Custodiuntur etiam vitigineis folijs singillatim obuoluta, & luto vel argilla candida illita, ac Soli quoad crustam duret, commissa: talia enim permanent, qualia concluduntur. Aliter canistris vel vimineis cistis componuntur, & mundo tomento vestiuntur. Sunt qui solos pediculos figulina terra muniant. Plerique in puteo vel cisterna fictilia vasa mergunt: quibus diligenter picatis & clausis, mala committuntur. Nonnulli pediculis feruenti pice demersis, supra tabulatam ex ordine dispo-

Modi varij custodiendo rum & reponendorum malorum.

Modus facilis & popularis.

Ingeniosus modus & paratu facilis.

Pulchrum inuentum.

disponunt- Hyberna feminibus, præsertim hordei, vt vuæ conduntur. Seruantur etiam optimè hoc modo: Accipe vas fictile non picatum & in fundo perforatum, quod ad fauces vsque in columbus & generosis pomis manu collectis exple, & pyxacantha, vel myachanta, vt Græci habent codices, aut re quauis alia, vasis spiracula diligenter obtura, & in qua volueris arbore suspende, ac per totam hyemem ibi esse permitte: talia inuenientur, qualia fuerunt condita. Quod experientia certa fatetur se didicisse Apuleius Græcus: tradens ea etiam durare musti dolijs immersa, clausa & à fęce seruata. Quo etiam modo vinum ipsum, viníque suauitatem miraculo quodam conseruant. Sed id ad mala cydonia propriè attinere, vt pleraque alia hîc scripta, suo dicemus loco. Conduntur & ollis fictilibus in vini dolium demersis, ita vt ei innatent, & dolium oblinatur. Non putrescent si herba virentis satyrij illita fuerint cacumina. Palladius Neapolitanus rotunda mala quæ orbiculata dicuntur, sine cura toto andiu seruari posse ait. Plerique scobem populi, vel abietis inter poma diffundunt: quæ sic ponenda esse constat, vt flosculi sursum, & pediculi deorsum spectent: nec ante vsum necessarium attingantur. Sed illud in totum præcipiendum duxi, nullum esse pomi genus, quod non possit melle seruari. Itaque cùm sit hæc res interdum ægrotantibus salutaris, censeo vel pauca poma in melle custodiri, sed separata generatim: nam si commisceas, alterum genus ab altero corrumpetur. Sunt alia custodiendi secreta, quæ in cydonijs seu cotoneis malis exprimentur, adhęc in pyris, & omnium maximè in punicis, citrijs & alijs. Quod tâtisper

Vt malę talia inueniantur, qualia fuerũt condita & reposita.

Mala à vino seruata, & vinum seruantia.

Vt mala non putrescant, & incolumia diu custodiantur.

Pomi genus omne optimè seruari melle.

tisper dum expectas, ex Plutarcho admonere sufuisse peruacaneum esse non putaui, mala gestantibus dorsuarijs iumentis tam grauia esse (etiam si pauca portent) vt oneri, viribus alioquin non impari, succumbant, ac sudando deficiant: solo odore, vt Latinus putat Apuleius, adeò illa offendente, vt animo linquantur. Quod ad cydonia summè odorata an potiùs referendum sit, faciat experiẽtia fidem. Remedium præsentissimum est oblatus panis: quem si vorarint, vt scribit Plinius, sese protinus recolligunt. Vitabitur id periculi si aliquot prius edenda, vel conspicienda odorandáque illis exhibeantur. Ex acerbis & syluestribus malis præstantissimum omphacium prælo vel trusatilibus molis exprimi potest: adhæc acetum in hunc modum. Per triduum mala in cumulo seruantur, deinde mittuntur in cadum, cui fontana aut pluuialis aqua miscetur: ac opertum vas per triginta dies sinitur, & subinde quantum fuerit aceti sublatũ ad vsus, tantũ redditur aquæ ad reparationem. Vinũ quoque factitare sic solent multi ex generosis & domesticis malis, quod citream vulgò nuncupant. Eadem prælo, vel trusatilibus molis, tortiuum ius exprimitur: deinde rursus secundarium, fracibus & retrimentis in aqua maceratis, ita vt pomea lora dici possit: non parui momenti ad restinguendam sitim rusticorum per messes & fœnisecia. Quod mirum esse non debet: nam pomis, pyrísque inest vini proprietas, quemadmodum scripsit Plinius, similitérque ægris medentes cauent: ac vino & aqua coquuntur, atque pulmentarij vicem implent. Priusquam hinc abeam, alienũ à nostro instituto non erit memorare, quòd multi sequenti experimento

Iumenta dorsuaria portãdis malis succumbere.

Quomodo ex malis fiat omphacium & acetum.

Quomodo fiat vinum ex generosis malis.

Notanda diligenter & obseruanda.

mento deprehendunt, an aquis vinum fuerit infuscatum, vt Plautino vtar vocabulo. Malum in vas inijciunt, aut pyrum syluestre, & si quidem supernatauerit, vinum esse purum significat: si verò mergatur, aquam habere. Sed hoc ad nostra vinorum secreta transferendum erat.

An vino insit aqua experimentum pulchrum.

Arboris Pyri, eiúsque pomi, cura, auxilia, & secreta. Cap. V.

Quibus locis gaudeat pyrus.

PYrus frigidis, humidis ac vberibus locis summè gaudet, quemadmodum scribit Diophanes, rei agrariæ apud Græcos doctor insignis. Gaudet etiam planis, in quibus lætior educatur. Palladius tale solum ei destinat, quale vinetis cõuenit: nimirum lætum & non impeditum. Prouenit hæc arbor semine, plãta, & insitione. Quod tamen interest, sicuti post Plinium idem adnotat Palladius. Nam si quis pyrorum semen spargat, nasci quidem necesse est, natura originem suam refouente: cuius æternitati nulla tarditas potest adferre fastidium. Sed homini, cui, Hippocrate teste, vita breuis esse solet, hoc expectare longum est: cùm & serò ita veniant fructus, & à generis sui nobilitate decedant. Quæ sua planta seritur arbor, dulcedinem ac teneritatem retinet, diu tamen seruata non durat. Quæ insitione comparatur, moram ætatis sustinet. Crebris fossionibus, & humore frequenti pyrum gaudere, autor est Palladius: nam ita vegetior euadit, ac meliùs proficit: vsqueadeò, vt tempore quo florere consueuit nihil de prolato flore depereat, si eam tunc fossor adiuuerit. Primos fructus, Plinio autore, facilè perdit, si cùm defloruerit, vel in florem defatiscit, protinus sequantur imbres, aut nubilum

Quibus modis prouenit pyrus.

Pyrus sata quid distet ab insita.

Sũmè notanda pro florẽte & deflorente pyro.

fiat

fiat, austrinúmue cœlum. Iuuabis plurimùm si interiecto anno qualelibet lætamen ei adiungas. Sed bubulum spissa & grauia poma, vt loquitur Palladius, creare solet. Sunt qui cinerem misceāt, hinc existimantes pyris argutiores sapores contrahi. Non duxi omittendum, quòd pyro vita breuior esse solet, quàm pyrastro: quæ pyrus fieri recusat, & si ex vitiata pyro bene nascatur, vt tradit Theophrastus. Si sterilis fuerit pyrus & lāguida, fœcundabitur eo artificio quod superius expressimus. Plerique vbi adoleuerit arbuscula, altè solēt ablaqueare, ex Columellę præcepto, & iuxta radicem truncum findere, ac fissurę cuneum tædæ pineæ, aut ex fago vel quercu, vt vult Palladius, adigere, atq; ita obruere. Si lapidosos fructus emittit, iubet Quintilliorum agricultura arborē ad imas vsque radices detegi, & quicquid lapidosum inuenietur, secerni ac excludi: altera terra cribro excreta, alterius loco suffusa, & addito stercore reposita. Quod summè proderit, si rigare nō cessaueris. Si dulciora & copiosiora pyra arborem tibi exhibere voles, trunco proximè radicem terebrato, cuneum ex fago, vel quercu, vt longè antè Palladium scripsit Græcus Diophanes, defiges, aut vini fæcem nudatis radicibus instillabis. Si dum floret ægrotabit, curabis fæce vini veteris affusa radicibus ablaqueatis per triduum, regesta tum demum terra. Si à vermibus infestentur arbor & fructus, radicibus felle bubulo, vel taurino, frequenter imbutis & perunctis, moriuntur omnes, ac in posterum gigni prohibebuntur. Sunt alia arboris huius auxilia & secreta, ex præcedentibus capitibus, & sequentibus eruenda, ne sim repetendo molestus. Moro insita, rubicun-

De stercore pyris apto.

Remedium sterilis pyri.

Ne lapidosos fructus pariat pyrus.

Vt pyrus copiosum & dulcem ferat fructum.

Remedium ægrotantis pyri in flore aut à vermibus infestatę.

Pyra quomodo fiãt rubicunda & effigiata.

bicunda pyra feret, vt Tarentinus tradit. Modũ effigiandi pyri in quas volueris formas, requires ex præcedenti capite & sequentibus. Sed de paréte arbore satis: superest vt eius sobolẽ aggrediamur: quæ hodie apud nos vsqueadeò creuit, & tot insitionum adulteratis coniugijs tam fœcũda ac multiplex euasit, vt singillatim persequi, sanè quàm difficile putem. Quò fit, vt ad pyrorum cõdituram, repositionem & custodiam me cõferre cogar.

Quando & quomodo legenda ac custodienda pyra.

Legenda sunt pyra eo modo quo mala, eáque methodo, nimirum die sereno, & blanda manu ne vulnerentur, caducis & vitiatis, à sanis & integris seclusis, decrescente Luna, & vegeto Solis calore. Quod vbi factum erit, in picato vase diligenter includentur: cuius os deorsum reclinabitur, atq; breui scrobe eo loco obruetur circa quẽ perennis aqua decurret. Hoc Palladij est consiliũ & præceptum.

Varij modi reponendorum pyrorũ.

Democritus optimè seruari affirmat, si illitis pice surculis vel pediculis suspendãtur. Alij sapa, vel passo, aut dulci vino mersa, vasis plenis custodiunt. Sunt qui inter scobes obruant. Pleriq; siccatis frondibus iuglandis inuoluta reponunt. Nonnulli in vinaceis discreta, ne se cõtingant, sepeliunt. Rustici inter paleas aut frumenta seruant.

Notãda pro custodiendis pyris.

Alij statim lecta cum tenacibus suis, vt loquitur Palladius, picatis vrceis condũt & oribus vasculorum gypso vel pice clausis, sub diuo obruta, sabulóue tegunt. Seruantur omniũ optimè, vt reliqui fructus, melle: modò non se contingant.

Vinum pyraceum.

Fit vinum è pyris, perinde atque ex malis, quod nostrates pyraceum nuncupant. Cuius modum require ex præcedenti capite, & alia pleraque huic pyrorum historiæ valde affinia & consentanea.

Arbo-

Arboris Cotoneæ seu Cydoniæ, ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. VI.

ARborem hác à M. Catone Cotoneam appellatam fuisse tradũt, ac si diceres Catone am, cùm à Græcis longè antè Cydonia vocaretur, á Cydone Cretæ oppido, vnde primùm aduecta fuit. Amat locum frigidum & humectum, vt tradit Palladius. Quæ si in tepido statuatur, rigatione opus habet. Sunt qui scribant illam statum mediocris situs inter naturam frigoris & caloris libenter ferre, & in locis tam planis, quàm decliuibus facilè educari, quanquam inclinata & deuexa magis desiderat. Dum ponitur, si minor est, stercore iuuari debet: si maior, cinere vel cretæ puluere, semel toto anno radicibus immisso. Rigãda est, Paxamo autore, quoties cœlestis negatur infusio. Nam sic poma sua citò matura & maiora dabit. Licebit etiam idoneis temporibus illam circũfodere, aliàs sterilescet, aut ingenium mutabit. Sic verò in suo cotoneto disponetur, ne altera, quatiente vento, stillicidium alterius tangant, & combibat. Pomi illius figura simpliciter exprimi nequit, quoniam cotoneorum alia incisuris crispantur, colore ad aurum vergente: ex quo Græcis chrysomela, & Virgilio aurea mala, vt multis placet, dicta sunt. Alia candidiora vidẽtur, odoris præstantissimi. Alia struthea nuncupantur, serotino prouẽtu maiora, & nescio quid odoratius reliquis vibrantia. Habentur præterea syluestria, parua & in sepibus plurimum nascentia. Quotquot sunt, tenui lanugine omnia pubescunt, & fragranti odore caput feriunt. Democritus in suis Georgicis græcis promittit cotonea

Cotonea arbor vnde dicta.

Locus arbori cotoneæ aptus.

Stercus & rigatio cotoneę, adhæc fossio.

Cotoneorũ figurę variæ.

Quomodo effigiata fiãt cotonea.

tonea

tonea cuiusque animantis effigiem repræsentatura, si in formatis fictilibus, aut insculptis vasculis adolescant, ea methodo quam in malorum historia præscripsimus. Si ægra fuerit arbor cotoneorum, amurca æqualiter aquæ remista, radicibus affundatur. Aut calx viua cum creta & aqua temperetur, arborisque trunco illinatur. Si sterilis fuerit, infœcunda, vermiculosa, lapidosa, aut aliter laborans, recurre ad ea quæ superius tã generali, quàm particulari præcepto scripsimus. Nã pudet toties eandem, quod dicunt, incudem tundere. Ad conditurum itaque & repositionem, custodiámque cotoneorum venio. Quam ex priscis Græcorum geoponicis, & Latinis rei rusticæ doctoribus, M. Varrone, Columella, Plinio, Palladio & alijs excerptam sic habe, & ausculta. Imprimis cotonea quã maturisśima & integerrima, sine macula, sereno cœlo, ac decrescente Luna colligere debes: & in lagena noua, quæ sit patentissimi oris, detersa qua canescunt lanugine, laxé ac leniter componere, ne collidi possint. Deinde cùm ad fauces vsque fuerint composita, vimineis surculis aut circulis sic erunt arctanda, vt modicè premantur, ne cùm humore fuerint imbuta, sustollantur. Tum quàm optimo & liquidissimo melle vas vsque ad summum ita repleb.tur, vt pomum quoduis ibi submersum videatur. Sed summoperè tibi cauendum erit, ne immaturum illud & crudum reponas, alioquin ita indurescet, vt vsui esse non posśit. Audio nonnullos cotonea osseo aut ligneo cultro (quod ferrum metuant) aperire priusquàm melli seruanda committãt, adheç semina eximere, à quibus pomum vitiari putant. Res ridenda potiùs quàm audienda.

Remedium pro ægra aut sterili arbore cotonei, vel aliter laborante.

Autori molesta repetitio.

Quomodo legenda & seruanda cotonea.

Pulchra & notatu digna.

Admonitio non asper. nanda.

dã. Nã ea mellis est natura, vt vitia coërceat, nec serpere patiatur. Qua ex causa etiam exanimum corpus hominis per annos plures innoxium seruat. Hæc ratio non solùm cotonea custodit, sed etiam liquorem mellei & cotonei saporis exhibet, qui sine noxa potest interdum dari febricitantibus, & melomeli nuncupatur. Democritus lecta cotonea dólijs musti ad fęcem vsque mergebat, atq; ita claudebat, vinum hinc odoratius reddi promittens. Alij in nouam ollam dolio vini innatantẽ illa reconduut, & dolium oblinunt. Sunt qui folijs fici obuoluta custodiãt. Plerique stupis, tomentóue mundo vestita, in cistis continnant & disponunt. Multi in scobe, vel milio, hordeo, aut auena, longo tempore incorrupta seruant. Sed in ea domo nec sunt condenda, nec reponenda vbi reliqui fructus fugaces, vel alij quique tenelli custodiri solent. Nam illos suo acerrimo odore vitiant ac labefactant, omniumq; maximè vuas in vicino situ iacentes. M. Cato in loco frigido & arido supra Paleas rectè seruari putat, quemadmodum de malis diximus, quorũ custodia cũ cotoneis annuit & conspirat in multis. Non desunt qui fici, aut nucis folijs inuoluta seruent. Alij creta figulina illinunt, siccatáque in Sole, suspendunt, & dum vsus postulauerit, cretam diluunt. Plerique arculis ligneis separatim includunt, & in tabulato, siccissimo ac frigidissimo loco, vbi neque fumus, neque teter sit odor collocãt, ita vt flosculi sursum, pediculi verò deorsum spectent, nec alterum ab altero corrumpatur: deinde scobe populnea, vel abiegna interposita, luto paleato opercula munita superponunt, ne introire possit spiritus. Hæc ex anti-

Mel putredini resistere & vitia quæque coercere.

Varij modi custodiendorum cotoneorum.

Summè notanda & obseruanda.

Alij modi seruandorũ cotoneorũ.

quorum penu deprompta fusiùs persequi volui-mus, quòd aliorum pomorum custodijs maxi-ma ex parte accommodari possint. Sed penè hîc prætererieram cydonitem, seu cydoniatum, quod fieri solet decoctis coroneis ex saccharo simpliciter, vel additis caryophyllis & cinnamomo, deinde expressis & asseruatis. Fit etiam vinum ex his tusis, & torculari, vel molis trusatilibus expressum, cui nõnihil mellis addi debet, alioquin celeriter acore vitiatur.

Quomodo fiat cydoniatum.

Vinum cydoniatum.

Arboris pruni ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. VII.

Quo solo gaudeat prunus, & quomodo poma verniculosa nõn gignat.

PRunus læto & humido solo gaudet, optimeque adolescit tepido cælo: cũm tamen & frigidum possit sustinere, quemadmodum scripsit Palladius. Si in locis glareosis & lapidosis iuuetur letamine, caduca pruna & vermiculosa non gignet. Seri potest ossiculo in putri & subacto solo, modò duobus palmis altè obruatur. Ponitur etiam planta sumpta ex caudice, radicibus fimo oblitis. Iuuatur frequenti humore, & assidua fossione. Sed quæ Damascena vocatur, sicca terra & aëre calido lætatur, vt scribit Pamphylus Græcus in suis georgicis. Si languida fuerit & minùs ferax, amurca æqualiter cum aqua temperata radicibus infundi debet. Vel bubulum lotium solum, aut humanum, idque vetus, mistum æquis partibus cum aqua. Vel cineres è furno, maximè farmentorum, vt ex Grecorũ geoponicis testatũ voluit Palladius. Eadem arbor si à vermibus aut formicis infestatur, rubrica & pice liquida illini debet, Quod modestiùs tentandum erit, ne idem effi-

Quomodo serenda pruna.

Remedium languidę pruni, & minus feracis,

Remedium contra vermes & formicas pru-

efficiat remedium, quod venenum. Alia auxilia ex superioribus tibi petenda, hîc mihi sunt tacenda, vt reliquis ex ordine suum concedam locum.

num infestantes.

Ab arbore itaque, ad fructum descendo, quem absque ossiculis tibi comparabis, si tenellam arborem ad binos pedes recisam vsque ad radicem findas, abrasáque & excauata scalpro vtriusque partis medulla, confestim seiunctas parteis vinculo constringas, superiorémque partem ac diuisuras laterum fimo, vel argilla, ceráue obducas, ac charta madida munias: elapso anno obfirmata cicatrice omnia coaluisse perspicies. Hanc dein de arbore surculis qui fructũ non tulerũt inseres, & sine ossiculis poma ꝓferet, siue illa fuerint pruna, siue cerasia, persica, mespila, palmulæ, lapidosáue corna. Prunorũ differentię apud nos esse solẽt innumeræ, & ferè inexplicabiles. Nã ex his alia reperiuntur herbaceo colore perfusa: alia rubro, semirubro, eburneo, luteo, purpureo, nigro, cœruleo, ac variegato. Quędã ꝓterea videtur magna quędã parua, & quędã mediocria. Dulcia nõnulla, alia acida, vinosa, dura, mollia, rotunda, ouata, & oblõga. Quę omnia post Catonẽ cœpisse scribit Plinius. Habetur & nucibus insita, quæ faciẽ, & succũ adoptionis repręsentãt, ab vtroq; parente nuci pruna appellata. Prima omniũ laus Damascenis tradi solet, à Damasco Syriæ monte, vt scribit Galenus, oriundis & cognominatis. Seruantur optimè, vt tradit Pamphilus Gręcus, cadis vino dulci, vel nouo expletis, modò in his fluitarint, & vasa diligenter operta fuerint. Secũdas parteis sibi vendicant, quæ pruni dactyla vocantur, à digiti longitudine, vt puto dicta: ouata pomi specie, & carni suaui, necnõ insitionis man-

Vt nascãtur pruna sine ossiculis.

Prunorũ differentiæ variæ.

Nuci pruna insitione cõparata.

Quomodo optimè seruẽtur pruna, & quibus laus tribuatur.

gonio nusquã non nascentia. Quæ ex omni genere seruari debent, ea integra & sine vitio aut verQuæ seruari miculo, die serena legenda sunt, & in picata fidelia reponenda defruto aut passo plena, vt pomũ omne demergatur: cuius operculum diligenter gypsatum superaddetur. Siccantur etiam in Sole per crates, sicciore loco disposita, vt scribit Palladius. Sunt qui in aqua marina, vel feruente muria, recenter lecta demergant, & inde sublata, aut furno tepido, aut in Sole resiccant.

Quæ seruari debent pruna, quomodo legenda & reponẽda.

Arboris Cerasi, ac eius pomi, cura, auxilia, & secreta. Cap. VIII.

Quibus locis quóue cœli statu gaudeat cerasus.

CErasus frigidis & humidis locis delectatur vt tradit Florentinus in suis Græcorum georgicôn placitis. Cui astipulatur Palladius, scribens eam frigidum cœli statum amare, & solum positionis humectæ. Plinius, septentrione, & frigidis aquosisq; montibus gaudere testatur, adhæc scrobes altas amare, & spatia largiora, necnõ assiduas fossiones. Vúltque ramos illius putres, marcescentes ac siccos amputari: adhæc quos densiùs arctatos protulerit, nimirum vt rarescat. In qua sententia etiam Palladius totus esse videtur, adfirmans præter hæc cerasum tanta esse ad comprehendendum facilitate, vt virgulta (nedum sparsa ossicula) in vitibus pro adminiculis posita, in arborem prosilijsse viderit: non omittens trunco ac nouellis ramis illius languinem quandoque innasci, quæ si obstinatè adhæserit, totum corpus arboris putrefacit, quare debet sedulò deradi priusquam inseratur trunco, alioquin

Quomodo tractanda arbor cerasi.

Cerasó summa facilitas ad comprehendendum.

quin officiet. Porrò fimum vsque adeò horret Cerasum, odítque, vt admoto eo degenerare palam conspiciatur. Valde autem proficit ac iuuatur, *si sui ipsius putamina falce concisa circum radices sepeliantur, ibique marcescant : quemadmodum* adnotat And. Matthiolus commentarijs suis doctissimis in Dioscoridem. Sanè nulla est arborum quæ suam sobolem & propagationem magis adaugeat. Nam eius humore & saliua, seu fœcundo quodam spermate, grauida facta terra, in campis, montibus & syluis adeò numerosas plantas concipit, procreát & parit, vt nihil numerosius, frequentius atque admirabilius occurrat. Speciosissimos satiuarum omnium fructus profert diuersorum generum, quò fit vt diuersa quoque sortiantur nomina: quæ hic explicare non admodùm laboro, contentus docere, quòd Francis Cerasij nomen fructus ille proprium sibi fecit, qui mediocri arbore nascitur (inter dum pumila, quasi frutice, chamæ cerasum rectè dixeris) pediculo breui, rotundulo pomo, pulcherrimè & iucundissimè inter virentia folia (carbunculi modo) rubente, dum maturuit : cui caro multa, mollis & succosa inest, ossiculum in meditullio claudens. Solet vsus eius maximè placere grato acore, vnde morosã ægrotantium palata mirè recreat, & prægnantium malacijs, antequam maturescat, summè expetitur. Quòd ad gradus maturationis attinet, primùm virent cerasia mox albescunt, inde pellucido rubore illustrantur. Sunt qui ab vno latere rubent, altero albent. Quædam etiam nigricant. Alia maculis quibusdam interspersis distinguuntur. Vndè rectè Ouidius:

Cerasum fimo nō gaudere, & quo modo stercoranda.

Nulla arborum suam sobolē tam propagat, quam Cerasus.

Quid Cerasus Francis propriè appelletur, & eius pictura.

Cerasi fructus morosis palatis gratissimus.

Gradus maturationis cerasiorum.

Quæq; sibi vario distinguit poma colore,
Audiat hæc cerasus, stipes inanis erit.

Florentinus rusticæ disciplinæ apud Græcos doctor insignis, tradit arborem cerasi fructum bonum & dulcem nunquam exhibituram, nisi fuerit alteri arbori insita. Quæ si humore nimio concepto putrescere obseruabitur, ex Palladij consilio, foramen in trunco excauari debet, quo ille possit educi. Si formicas patitur, succum portulacæ licebit affundere, cum aceti parte media mistum, aut fæcibus vini truncum florentis arboris illinere. Præcoces fructus dabit, si ante florum exortum, calx viua radicibus circũponatur, aut aqua calida sæpius infundatur, sed posteà paruo temporis tractu inarescit. Optimum est huius arboris poma interuelli, vt quæ relinquentur turgescant. Si quis vt Florentinus tradit, Ceraso nigram vitem inserat, verno tempore vuas profe-ret. Si exossata habere cupis cerasia, hoc est ossiculis carentia, ex Gargilij Martialis sententia, vt Palladius adnotauit teneram adhuc arborem ad binos pedes recides, & vsque ad radicem findes, abrasáque ferro partis vtriusque medulla, illicò seiunctas partes vinculo perstringes, & summitatem ac diuisuras laterum fimo oblines: post annum ducta cicatrice dum diuortia coalescant: eidem arbori surculos qui adhuc fructum non tulerunt inseres, & hinc sine ossibus poma recipies. Sed melius erit audire loquentem ea de re Democritum, rei agrariæ apud Græcos consultissimum. Si tenellum (inquit) cerasi caudicem radicetenus scindas, non vulnerata parte ima, medullàmque ferramento ad eam rem apto eruas: deinde lacrymam cyrenaïcam infundas aqua dilutam

Remedium putrescentis cerasi.

Quomodo fiant præcocia cerasa.

Quomodo fiant cerasia ossiculis carentia.

Vt Cerasia prodeat enucleata, ex Democrito.

tam, donec sapæ consistétiam referat, & humente charta dictum caudicem, non neglecto adminiculo, liges ac fulcias, ne lacryma effluere possit, ac rursum octauo die eadem lacryma perfundas. vt germina excitet: hoc faciens enucleatum fructum habebis, non dicam cerasi, sed alterius arboris pomum ossiculatum ferentis. Secreta alia & auxilia sunt de superioribus eruenda. Hic non omittam quod cerasus lauro conuenienter inseritur, sicuti in nostro Insitionum opusculo docebimus. Nam hinc quandam odoris gratiam sibi conciliat fructus, qui inter redolentia ac viridissima lauri folia speciosissimus spectatur, & à vermibus minus infestatur. Quod ad conditúram & custodiam attinet, ratio à Florentino Græco sic est tradita. Cerasia ante Solis exortum arbore sua decerpta mittuntur in vas cuius fundo substrata sit satureia, iterúmque alternis sternitur satureia, deinde cerasia, vsquedum vas completum fuerit cui nonnihil aceti dulcis, vel, vt placet Ruellio, acidi mellis aliquantum dulcescentis, superfunditur, vase diligenter operculato. Seruantur etiam interpositis arundinum folijs alternatim, vt nunc dictum est, in cado digestis. Multi æstuante & candenti Sole, vsque ad rugas siccant: vel blando & temperato ignis aut clibani calore, eóque modo optimè seruant, ad sanorum & ægrotantium vsum.

Cerasum lauro conueniēter inseri.

Cerasiorum conditura & custodia.

Modi alij custodiendorū Cerasiorum.

Arboris mori, ac eius pomi, cura, auxilia & secreta. CAP. IX.

Morus amat loca calida & sabulosa, Palladio autore, fossionibusq; & stercore plurimùm

Quomodo tractanda & curanda arbor Mori.

rimùm delectatur, non in profundum, sed ad radicum vsque superficiem, vt Berytius Græcus geoponicus tradit. Assiduo humore non admodum gaudet, cui putria, arida & superflua, post triennium sunt putanda. Semine prouenit si lecta granula deponantur, sed rigari continuò desiderant. Seritur meliùs taleis & cacuminibus sesquipedalibus, vtraque parte læuigatis, & fimo oblitis. Plantæ eius translatæ scrobes altiores desiderant, & interualla maiora, ne altera vmbris alterius prematur. Vitibus summè est amica, vrbanarum omnium nouissima, & serotino germinatu florescens, nec nisi exacto frigore: ob id dicta arborum sapientissima, vt Plinius scribit: licet nomen fatuæ & stolidæ à Græcis adepta fuisse videatur. Folia eius vrina madefacta pilum corijs detrahunt, illisque aluntur vermiculi qui mirabili naturę artificio & spectaculo sane quàm iucundo, sericum Vellus nobis conficiunt. Sed hîc Mori Plinianum miraculum nobis tacendum non est. Morus, inquit, laurus & hedera mutuo attritu ignem facile concipiunt: quod exploratorum vsus in castris, pastorúmque industria reperit. Quoniam ad excutiendum ignẽ non semper lapidis occasio est, teritur lignum ligno, & arido fomite excipitur scintilla, sed nihil hedera præstantius quæ teratur lauro, laurúmque terat. hactenus Plinius. Nonnulli scripserunt arborem Mori feraciorem & proceriorem fieri, si forato prorsus trunco, cunei inserantur terebinthi hinc, inde lentesci. Eadem, vt Berytius tradit, si populo albę inseratur, vel inoculetur, candida mora proferet. Quæ Italia tam copiosa habet, quàm nos nigra, pomo cartilagineo constantia.

Quomodo ritè proueniat morus.

Morus vitibus summè amica.

Pulchra & notatu valde digna.

Mori lignũ attritu ignẽ conciperc.

Quomodo fiat feracior morus, & cãdidos ferat fructus.

Quod

Quod vnum exortu candidum eſt, dum pubeſcit, rubrum, vbi maturuit adeò nigrum, vt manus ſanguineo tingat colore, qui moris acerbis optimè eluitur. De repoſitione & diuturnitate, Berytius hæc poſteritatis memoriæ mandauit. Mora in vitreo vaſe diligenter condita plurimo tempore durant, proprio ipſorum iuſculo & vino demerſa, ac diligenter operta, modò non fuerint nimium matura, vieta, & flaccida, ſeu languida.

Quomodo reponenda & ſeruanda mora.

Arboris Perſicæ ac eius pomi cura, auxilia, & ſecreta. CAP. X.

PErſicis ſcatent Gallica rura, & maximè vineta. Proueniunt locis qualibuſcunque: ſed frondibus, pomis, & durabilitate præcellunt, ſi calidum cœlum, arenoſiſſimque ſolum, necnon aridum ſortiantur, quemadmodum ſcripſit Palladius, & ante illũ Plinius. Frigidis locis & maximè ventoſis, niſi obiectu aliquo defendantur, citò interit hæc arbor: quę plurimùm lætatur ſuorum foliorum ſtercoratione, & opportuna ablaqueatione. Oſſa in paſtinatis areis ſunt ponenda, binis à ſe pedibus ſeparata, vt cùm ibi plãtæ creuerint, commodè transferri poſſint. Nec debent altiùs duobus aut tribus digitis obrui, cacumine deorſum verſo. Dum tenera erunt germina, ſæpè herbis circumfoſſa liberari cupiunt, transferriq; poſt bimatum ſcrobe breui. Sed à ſe non longè ſtatuendæ erunt arbuſculæ, vt à calore Solis ſe inuicem excuſent ac defendãt. Quæ ſi irrigentur poma ferent maiora: nam aſsiduo potu hæc arbor inebriari deſiderat, maximè per æſtatem: nec alia eſt quæ coloniam frequenter mutare liben-

Quibus locis prouemat Perſica malus.

Frigida loca & ventoſa perſicis exoſa.

Quomodo ponenda Perſicorum oſſa.

Quando & quomodo transferenda perſica arbor.

Vt lætior euadat malus Persica.

tiùs sustineat. Habitu multò lętior euadet, vt Florentinus in suis testatus est Georgicis, si simulátque poma persica ederimus, illorum ossa ponamus & conseramus, carnis parte aliqua in eis relicta. Verùm, cùm arbor hæc celerem sentiat senectam, pruno aut amygdalo amarę inserendam esse præcipiunt Græci. Quæ si languida videbitur, veteris vini fæces aquæ mistas oportebit infundere: & frequenti aggestione cumulare, vespertinóque humore iuuare, ac obiectis vmbraculis defendere, si ardore Solis siccata contabescat. In quam rem etiam proderit serpentis spolium appendere. Si vermibus infestatur, cinere amurcæ misto extinguentur: vel bouis vrina cum aceti tertia parte confusa. Si à pruinis periclitatur, stercus illi ingeratur: vel vini fęces cum aqua permistæ: vel, quod magis prodest, aqua in qua faba fuerit incocta. Contra vitia omnia proficit spartū alligatum, vel suspensa ramis spartea. Poma persica sine ossibus tibi cōparabis, vt in suis Georgicis tradit Africanus, si in perforatum infernè truncum, excisa medulla, salicis vel corni palum adegeris. Vt persica admirandæ magnitudinis tibi compares, amygdalas item ac nuces & similia, accipies tres vel quatuor nucleos ex illis, quos ita coaptabis vt corpus vnum constituere videantur. Hos iunctos, & si opus fuerit, colligatos, in vas aliquod terra stercorata plenum immittes plantabis ac sepelies: sed ita vt vas illud foramen habeat in operculo per quod nucleorū germen exire cogatur. Sic fiet vt nuclei illi in vnā coalescant arborē, quæ suo tempore fructus eximię magnitudinis ac pulchritudinis edet ac proferet. Sunt qui nucleos nō in vas, sed fistulam aut tubu-

Remediū languidæ & tabescentis persicæ.

Ne à vermibus infestetur, aut a pruinis periclitetur.

Vt persica sine ossibus producatur.

Modus ingeniosus vt fiat persica eximiæ magnitudinis.

tubulũ terra ſaturum mittant. Si id multò leuius & facilius tibi comparare voles, diligenter interlegenda erunt perſica illa, quæ parua & languida apparebunt, nimiáque vbertate matrem onerabunt: vt arboris ſuccus ad reliquorum nutrimẽta conuertatur. Sic enim ſaliuæ copia in pauciores fœtus ſe conferens, illos altili ſaginabit incremento, ac maiores reddet. Si rugoſa naſcantur perſica aut putrida, iubet Palladius circa imum truncum corticem recidi: & cùm inde modicus effluxerit humor, argilla vel paleato luto plagã contegi. Si caduca & deflua fuerint perſica, nudatis radicibus, cunei lentiſci vel terebinthi adigantur: aut arbori terebratæ in medio, palus ſalicis imprimatur. Si inſcripta & figurata naſci cupis, ex Democriti conſilio id aſſequêris, ſi exciſa aut deraſa carne pomi, os triduo in aqua madefcat: & aperto ſenſim ligno, nucleus excluſus æneo ſtylo cortice tenus, quibus placebit literis aut figuris non profundè exaretur: deinde in ſuũ alueolum remittatur, & commiſsis carinulis, ſimo, charta, aut folijs inuoluatur, & feratur, rigetúrque ſi opus erit: quidquid enim in eo nucleo ſcripſeris, aut figuraueris, enatum inde pomum illud repræſentabit. Quòd ſi voles rubrum habere, idipſum, eodem affirmãte Democrito, obtinebis, roſis purpureis ſub arbore conſitis. Vel ſi in oſsium internos ſinus, poſt ſeptem dies, quando patefieri incipiunt (nam totidem diebus obruta oſſa ſponte fatiſcunt) cinnabarim vel miniũ infundas: & ſtrictim obligata oſſa illa, vt cohæreant ſimul cum ſuis nucleis, adhibita omni cura ſepelias: ſic rubra intus & in cute ſua dabunt arbores perſica. Si alium quemuis infuderis colorem,

Via alia & modus facilior.

Ne ſint rugoſa perſica aut putria.

Ne caduca & deflua ſint perſica.

Quomodo inſcripta & figurata naſcantur perſica.

Vt rubra naſcantur perſica.

Notanda q̃a pulchra.

rem, saporem aut odorem, in similem nata progenies degenerabit. Hîc penè præteribam persicorum genera: quæ tria vulgo obseruari solent. Vnum populare, cuique notum: quod sub æstatis finem consueuit maturescere, citiùs, tardiùs, pro cœli & soli natura. Alterum ex re duracinũ dicitur, quòd caro osſi tam pertinaciter hæreat, vt auelli nequeat: Pressum vulgus nuncupat, ꝗa interiori ligno caro, ceu agglutinata apprimitur. In quo etiam genere inueniũtur, quæ sanguinea pulpa, & succo manus inficiant: adhæc, quæ cotoneorum more, intus & extra valde flauescant. Tertium genus præcox & anteperſicum appellatur, olim Armeniacum, initio æstatis maturescens, & cætera persica longè præueniens: ex quo nomen habet: dicique solet à nostratibus Abricocum. Alia sunt genera olitorio mangonio, & insitionis adulterio prognata, quæ hîc prudens omitto. Popularibus primi generis, Plinij seculo nihil fuit fugacius, nam lõgisſima decerptis erat bidui mora, & ob id cogebant se venundari, vt scribit. Duracina, Palladio autore, muria et oxymelite condita, vel aceto mulso, optimè seruantur. Eadem detractis osſibus, prunorum more, in Sole vel clibano siccantur. Sæpè etiam osſibus exemptis, melle condiuntur, sapore grato ac iucundo. Seruantur prætereà si vmbilicus eorum, gutta picis calentis oppleatur, & ita sapæ innatare cogatur, vase diligenter clauso. Quæ omnia etiam præcocibus, & alijs carne duriore & minùs aquea constantibus, qualia sunt Parisiensibus Corbelliana, facilè accommodari poterunt: ijs prætereà quæ loco sicco & lapidoso naſcuntur.

Persicorum genera tria.

Persica sanguinea & flaua.

Præcocia, ante persica & armeniaca.

Popularibus persicis nihil fugacius.

Quomodo custodienda persica.

Aduertenda quia pulchra.

Corbelliana persica.

Arbo-

Arborum Mespili & Sorbi, pomiq; earundem, cura, auxilia, & secreta.

CAP. XI.

Mespilus Gallis nunc Meslierus, nunc Neflierus vulgò dici solet. Cuius duo obseruantur genera. Vnum, quod rarioribus spinis horret, in dumetis, nemoribus, & viuis sepibus, quasi syluestre nascēs. Huic pomum paruum inesse solet, & per initia tam acerbum, vt vix edendo esse posit, nisi hyemis frigoribus mollescat. Alterum grandiore pomo sese profert, ita vt magnitudine mala sæpenumero peræquet, absque vllis spinis: quòd crebro insitu & cultu in hortis habitasse, & feritatem deposuisse dubium non est. Locis calidis gaudet, sed tamen irriguis, vt tradit Palladius. Frigidis etiam prouenit, sabulone pingui, aut glareosa terra cui arena permista sit, vel argilla cum saxis. Putari amat, necnon circunfodi, & parco humore inter siccitates refocillari. Nostrates ligno huius ad venabula & aurigarum flagella vti plurimùm solent. Vermibus in senecta crebrò infestatur mespili arbor, qui prægrandes, & quàm cæteris arboribus diuersi cernuntur: purgandi æreo stylo, vt Palladius admonet, atq; amurca, vel humana vrina vetere, aut viua calce perfundendi, sed parciùs, propter arboris noxam. In quam rem plurimùm etiā proderit decocti lupini aqua. Si labuntur poma, frustum de eius radice præcisum, in media trūci parte figatur. Si molestæ sunt formicæ, rubrica cum aceto & cinere tēperata necabuntur. Arbori huic pomum rotundū esse solet, ac viride dum pubescit, fuluū verò ac molle dum maturuit, fundo in

Mespilorum genera duo.

Vnde magnitudo in mespilis.

Quibus locis gaudeat mespilus.

Quomodo à vermibus expurganda sit mespilus.

Ne labātur poma mespili, & molestæ sint formicæ.

Pulchra descriptio fructus mespili. in latitudinem resimo & barbatulo, coronæ modo, quod Politianus in Rustico sic expressit, *Regúmque altas imitata coronas, Mespila*. Inest illorum pomo astringens ingenium. Galenus communi vocabulo tricoccum, quasi triossum, aut trigranum ab aliquibus appellatum dicit: quoniam tria intus grana, siue lignea ossicula, seminis loco plurimùm continet. Quod ad custodiā attinet, in parente arbore diu durare possunt mespila, vel in vrceolis picatis, vt habet Palladius, aut in ordinem suspensa. Vel, vt quidam volūt, posca aut sapa condita. Die serena legi debent circa meridiem, & paleis obrui discreta, ne vicissim contactus ea vitiet. Si cum pediculis semimatura legantur, & salsa aqua per dies quinque macerentur, posteà sapæ infundantur vt enatēt, perbellè seruabuntur. Quod facere si nequeas, etiam melle, si minus matura collegeris, rectè custodies. Per gelicidia acerbitate domita, in passo vel mulso â plerisque decoquuntur, addito cinnamomi momento. Sed cùm hîc hortulanum agam non Apicium, isthæc cocis curanda relinquo.

Quomodo custodienda mespila.

Notatu digna quia pulchra.

Quęnam loca Sorbis apta. Sorbus, Gallis Cormierus, vel Sorbierus dici solet. Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, vt scribit Palladius. Quod ex Theophrasto translatum esse videtur, qui sorbum viuacem esse prodit solo alsioso & humecto: vnde paulatim sterilescere tradunt, si ad feruentia loca deuenerit. Nascitur semine, radice & auulsione.

Notāda pro educatione Sorborum. Quę si transferenda est, robustior esse debet. Scrobem altiorem desiderat, & spatia longiora: vt (quod illi maximè prodest) à vētis frequentibus agitata grandescat, quemadmodum tradit Palladius.

dius. Vermibus rufis & pilosis summè est obnoxia per senectam, qui medullæ interna sectantes, arborem ad interitum tabémque perducunt. A quibus libera euadet, si aliquot ex ijs sine arboris iniuria detracti, vicino concrementur incendio, nam ita vel fugere, vel perire credūtur. Si minus ferax fuerit arbor, tedæ cuneus radicibus inserēdus est. Vel circa partem vltimam fossa facta, cumulo ingesti cineris adæquanda. Ante trimatum non censetur esse fœcūda: cuius fructus cùm largè proueniunt, vuæ modo farcti, congestíque visuntur, ex vno petiolo faui speciem præbentes. Hos vermiculus etiamnū crudos, acerbissimosq; exesi, vt scribit Plinius: qui pomorū sorbi differentias quatuor statuit, vni rotunditatem mali ascribens: alteri turbinationem pyri: tertio oualem formam: quartum torminale nuncupat, remedio tantùm probabile. Seruantur hoc modo: Lecta duriora ac posita, vbi mitescere cœperint, fictilibus vrceolis vsque ad plenum clauduntur, gypso desuper tectis: posteà scrobe bipedanea loco sicco & aprico merguntur, ore peruerso, vt loquitur Palladius, & terra spissiùs calcata. M. Cato in sapa diu posse seruari tradit. Cui subscribit M. Varro, addēs in arido vbicunq; posita, facilè per se durare. Quæ etiam dissecta, nonnulli in Sole, vt pyra siccant, seruantq; vasculis in hyemem. Cùm vti volunt, aqua feruente macerant, ac ita reuirescere cogunt, sapore sanequàm iucundo. Alij integra cum ramis dolio picato suspendunt, illitis pice omnium surculis, exclusáque aura quacunque operculo ac gypso, dolia ab aqua & humiditate procul esse satagunt. Quidā, vt tradit Columella, in defruto illa cōmodè ser-

Quomodo à vermibus liberetur sorbus.

Vt ferax & fœcūda fiat sorbus.

Pomorū sorbi differentiæ quatuor.

Quomodo seruanda sorba.

Alij modi custodiēdorum sorborum.

Pulchra & notatu di-

gna pro sorborum repositione. seruant, addito spissamento aridi fœniculi, quo deprimatur, ita vt ius supernatet: deinde picato operculo vas claudunt, et gypso illinunt, ne quis possit intrare aut abire spiritus. Fit ex maturis

Vinum, omphacium, & acetum ex sorbis. sorbis, sicut ex malis & pyris vinũ apud multos: adhæc, omphacium & acetum ex immaturis.

Arboris Nucis, seu Iuglandis, eiusq; fructus cura, auxilia, & secreta.

CAP. XII.

Quibus locis gaudeat nux.

NVX, siue Iuglãs, arbor est pueris ac senibus notissima, quæ locis siccis & frigidis gaudet, necnõ lapidosis, quemadmodum post Pliniũ scripsit Palladius. Columella agrum calidũ, durum & siccum desiderare tradit. Potest tamen & locis temperatis iuuante humore educari. Serenda est nucibus suis eo modo quo amygdalus, sed priùs siccari debẽt in Sole, vt exhauriatur humoris noxium virus. Idem Columella præcipit eas macerandas esse in aqua mulsa, nec nimis dulci ante depositionem: nam ita iucundiores saporis fructum cùm adoleuerit arbor præbebit: ac interim melius & celerius nascetur. quod de Auellana multi intelligẽdum censent. Palladius admonet nuces eas transuersas ponendas esse, vt latus ac commissura terræ infixa sepeliatur, & cacumẽ ad Aquilonis partem vergat. Columella ternas in trigonum statuit, sed ita vt pars acutior sit infrà (quia inde radices mittit) & nux à nuce minimè palmo absit, ancepsq; ad Fauonium spectet. Vt vt fuerit, lapis vel testa subter apponi debet, vt radicem nõ simpliciter, sed repercussu dispergat. Hęc de iuglãdibus obscurè tradita, ad amygdalas

Quomodo serẽda nux, & ante sationem præparanda.

Notãda pro nucum positione & plãtatione.

dalas cum Plinio libenter detorquerem: & si iuglandes nuces commissuris iacentibus porrectas optimè seri præcipit. Quarum arbor quò sæpius transferetur, eò lætior euadet. Quod fieri expedit, dũ bima est in locis frigidis: in calidis verò, dum trima. Cuius radiculæ resecari non debent, vt fieri solet in alijs arboribus, quin potius bubulo fimo tingi, vel quod melius erit, cinere in scrobibus respergi, ne stercoris calore aduratur arbuscula. Nulla est arborum (post cerasum) quæ vel facilius, vel melius proueniat. Cuius rei testẽ proferemus Ouidium, apud quem nux querula hunc in modum loquitur:

Quomodò & quando transferenda nux.

Nucem de omnibus arboribus citò ac facile prouenire.

Sponte mea facilis contempto nascor in agro:
Parsq; loci qua sto publica penè via est.

Scrobibus altis admodum delectatur, vultq; interualla magna, quia stillicidijs foliorum suorum, proximis vel sui generis arboribus nocet. Ita enim frondis proiectu diffunditur, vt per ipsam non defluant imbres, sæuaq; stilla est, quemadmodum scribit Plinius. Apud quem etiam lego vmbram arboris huius, satis quibusque non nutricem esse, sed nouercam, vnde quæcunque attigit haud dubiè venenat. Arbor hæc inferiore sui parte fertilior esse solet, neque cariem, neque vetustatem sentiens. Idque de multis singulare habet, quòd se frangi sonitu prænunciat, ita vt præsentire homines possint. Quod in Antandro contigisse tradit Plinius, omnesq; è balneis terrefactos aufugisse. Sed mirabilis esse solet illius cum quercu antipathia: tam enim pertinaci odio dissident, vt iuxta nucem iuglandẽ depacta quercus moriatur, imò verò altera in alterius scrobe posita

Nucis arborũ stillicidia nocere, ad hæc vmbrã.

Mira de nuce arbore, & notanda.

Nucis & quercus summa antipathia.

M

posita elanguescit: & si nucem in quercum senio mutari nonnulli tradiderint. Damageron in suis Georgicis græcis scribit, nucem meliorem fieri, meliusque adolescere, si vrina pueri impuberis, vel nondum Venerem experti, diebus quinque præmaceretur, antequàm terræ committatur, & ita plantetur. Quod etiam in amygdalis commēdatur, vt sequenti capite scribemus. Si caudici, vel radicibus cinerem iugiter affuderis, corticis teneritudinem & nuclei fragiliorem carnem, fructúmque densitatem procurabis. Eadem lætior euadet, ac citò adolescet, si cupreū clauum, aut ligneum palum ad medullam vsque transfixeris. Nodosam duritiem exuet, ac nuces facilè friabiles dabit, si trūcum terebro per medullam traieceris, atque foramini parem vlmi cuneum adegeris. Si fructum amittit, & defluum habet, verbasci radicem, vel coccineum pannum detritum, & sterquilinio acceptum, amuleti vice suspende, aut illiga. Hæc Damageron. Ad Palladium redeo. Si senectæ vitio, inquit, excauetur iuglandis arbor, longus canalis à summo trunco ad imum excudi debet: sic enim Solis & venti beneficio difflantur ac durescunt quę in marcorem transibant. Arcebitur autem hiantis cauernæ vitium, frequenti arboris ablaqueatione. Si prædurum & lignosum fructum gignat, cortex in orbem vulnerandus erit, vt noxij humoris vitium deducatur. Alij radicum summa præcidunt. Plerique terebratæ radici buxeum cuneum imponūt, aut cupreum, ferreúmve clauum. Africanus pollicetur in suis georgicis, iuglandes sine putaminibus nuces edituras, quas Tarentinas nuncupant, si fractis, vtrinque carinis, integer nucleus illæsa

Quomodo nux optimè adolescat.

Quomodo cortex nucis fiat fragilis.

Quomodo nodosam duritiem exuat nux, & fructum non perdat.

Ne vitio senectæ excauetur nux & interhiet.

Ne lignosum fructum nux progignat.

Quomodo gignantur nuces absq; putaminib⁹.

illæsa prorsus carne, lana aut vitigineis folijs recentibus obuoluatur, quò minùs à formicis enucleatus arrodatur, dein terræ mandetur. Africano subscribunt Florentinus Græcus, et Palladius Latinus, promittitꝗ ille, amygdalis idem euenturũ, si trunco & radicibus asiduè cinis circumfundatur: imò verò & reliquis fructuum generibus, quæ testam forinsecus habent, si iuxta præcedentem modum eorum arbores plantentur. Quod nuciferæ arbori quæ ætatem tulit, si voles accommodare, lixiuio per annum cõtinuum ter in mense rigabis. Cæterùm quia arbor hæc fata quæuis, vt diximus, suâ vmbra & præsentia lædit, atque hortis ob id inutilis esse censetur, (hanc nisi in extremo margine fundus alat) idcirco cuperent plerīꝗ rationem inire, qua vel aresceret, vel annosa & grandis facilè extirparetur. His Democritus hunc in modum satisfacit. Ieiunus (inquit) lentis grana aliquot mande seorsum: quæ dum adhuc in ore versas, pubescentis flore iuglandis ramum quem volueris demorde, arbor paulatim distabescet. Id si non placet, flagrans igni clauus (vel lentis granũ, vt legit Ruellius) radicibus imprimatur. Aut in traiectam terebro arborem, puerile lotium, vel cuneus myrteus immittatur: præsertim dum floret. Aut radici ablaqueatæ dictamnus, faba, vel pannus menstruo muliebri imbutus, admoueatur: nam ita arbor tabida ariditate conficietur. Sunt qui in terebratam medullam viuum argentum inijciant. De extirpatione quarumcunꝗ arborum, quando huc incidimus, hæc apud Plinium reperi. Syluæ extirpandæ rationem Democritus prodidit, lupini flore in succo cicutæ vno die macerato, &

Notanda quia valde pulchra.

Quomodo nuciferæ arbori quæ ætatem tulit, succurratur.

Quomodo facilè extirpanda sit & perdẽda nux annosa.

De extirpatione quarumcunque arborum.

radicibus ablaqueatis reſperſo. Sunt qui ſub diebus Caniculæ illas ad medullam perforēt, & petroleum cum ſulphure inijciant. Ferè hîc prætermieram quod à multis traditum & obſeruatum audio, nimirum nucem arborem crebra vapulatione emendari & fœcundari: vel fidem faciente hoc populari diſticho,

Nux vapulando, vt mulier & aſinus, emendatur.

Nux, aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligata,
Hæc tria nil rectè faciunt ſi verbera ceſſent.

His vtcunque poſitis non prætermittam pulcherrimum fertilitatis, vel ſterilitatis preſagium & prognoſticon, quod ex nucis arbore Virgilius poſteritatem latere noluit, licet multi amygdalæ aſcribant:

Prognoſticō fertilitatis vel ſterilitatis à nuce.

Contemplator item (inquit) cùm ſe nux plurima ſyluis
Induet in florem, & ramos curuabit olenteis:
Si ſuperant fructus, pariter frumenta ſequentur,
Magnaq́ cum magno veniet tritura calore.
At ſi luxuria foliorum exuberat vmbra,
Ne quicquam pingueis palea teret area culmos.

Hîc diſsimulandum non arbitror, quòd Iuglandis cortex lanis tingendis, & rufandis capillis, Plinio autore, adhibetur. Quinetiam digitos & manus ſuo attritu infuſcare ſolet. Quod nux querula ſic apud Ouidium teſtatur,

Noſtra notat fuſco digitos iniuria ſucco,
Cortice contactas inficiente manus.

Sed omiſſa arbore, ad eius fructum, ſi placet, veniamus, quem duplici munimento & inuolucro tegi, nullus eſt qui non videat, puluinato primùm calice, herbaceóque cortice: mox ligneo puta-

Fructus nucis pulcherrima deſcriptio & pictura.

putamine, compactili carinarum loculo, & tenui tunica intus armato, quot modis fœtus in parente solet esse, vt scribit Plinius. Quæ causa nuptijs religiosas fecit nuces: olim à Regibus è Perside trãslatas, & ob id regias ac persicas nominatas, vt autor est ille idem Plinius. Hîc non tacebo, quòd à capitis grauedine, quam foliorũ odore in crebrum penetrante, nux inducit: nec non à grauitate vmbræ, karyon Græcis dici solet: quibus kara, Attico idiomate, caput significatur. Sic à Latinis ob easdem causas, à nocendo nux (vt opinor) nomen habuit. Cæterùm iuglandem nuncupari volunt, ac si diceres Iouis glandem, interlisis literis. Quo nomine primo mundi æuo ita appellatam fuisse plures tradunt. Quippe cùm homines diu glandibus victitassent, inuenta tandem arbore quæ nuces ferebat, degustato nucleorum eius sapore, dulcedine illorum mirum in modum illecti, nuces, Iouis glandes ob præstantiam & excellentiam appellauerunt. Ad pensum redeo. Nucibus cortex sponte exutus maturitatis indicium prębet, ac tempestiuitatem fatetur. ex quo tunc excuti debent. Seruantur optimè vel paleis obrutæ, vel arena, vel folijs suis aridis, vel arca ex ligno suo facta, si in ea claudantur, vel si cepis remisceantur. Quibus hanc contubernalis hospitij vicissitudinẽ rependunt, vt eis acredinẽ tollant, & proinde suauiores reddãt, quemadmodum Palladius adnotauit. Apud quem Gargilius Martialis (cuius meminit Seruius in Georg. Virgil. vt anteà monuimus) asserit se expertum nuces post annum virides inueniri, si liberæ putaminibus suis melle demergantur: addítque, ipsum mel ita medicabile fieri, vt ex eo concin-

Cur nuptijs religiosæ sint nuces.

Notanda de nominibus nucis & eorundem etymo.

Vnde nuces Iuglandes vocatæ.

Quãdo nuces maturæ iudicandæ.

Quomodo optimè seruétur nuces.

Quomodo nuces post annũ virides inueniãtur.

concinnata potio faucibus & arterijs medeatur. Sed hæc sequenti narrationi medicæ erant contexenda. Istud pro coronide erit. Si in aquæ situlam virenteis iuglandium cortices tusos immiseris, & aqua illa terram perfuderis, videbis lumbricorum ingentem copiam emergere. Quod piscatoribus scriptum sit.

Terrestres lũbrici à corticibus iuglandis excitantur.

Arboris Amygdali, eiusq; nucis, cura, auxilia, & secreta. CAP. XIII.

Locus aptus amygdalis.

AMygdalus agrum durum, siccum & calculosum amat, adhæc cœlum calidissimũ. Quæ quia maturè florere consueuit, præcocique partu, pro cœli & soli natura germinare, idcirco Palladius ita statuendam præcepit, vt meridiem si fieri potest, semper spectet. Plantatur, Florentino autore, à nuce, viuiradice, et auulsione, vel stolone. Nuces quæ seri debent, pridie liquido fimo macerãtur. Sunt qui hydromelite, aut aqua mulsa madefaciant, & noctem vnam ibi essefinant, vt mellis mordacitas germen non extinguat, & iucundioris saporis arbor fructum præbeat, cùm adoleuerit: meliusq; & celeriùs frondeat. quod de amaris amygdalis multi intelligendũ censent. Vt vt fuerit, amygdali nux in terrã recta figi debet, ea parte quæ acuminata est, ita vt lignosior pars sursum vergat. Sed quæ pangentur amygdala, noua sunt eligenda, ac vegeta & recentia. Quibus si siccitas intercesserit, terna succurremus rigatione in mense, herbísque nascentibus, & nocentibus, circunfodiendo, emergentem arbusculam sæpenumero liberabimus. Terra seminarij

Quomodo plantanda si amygdalus.

Notanda & aduertenda.

Noua amygdala pãgenda, & quomodo illis succurrẽdũ.

Palla-

Palladio adnotante, lætamen admiſtum habere debet, ſpatijs inter arbores 20. pedum diſtantibus. Adoleſcentes arbuſculæ & nouellæ diligenter à pecore ſunt ſeruandæ, quia ſi ab illis rodun-tur, amareſcũt. Dum floret arbor, circunfodi nõ debet, quia inde flos excutitur: cuius ea eſt natura, vt in ſenio fœcundior ſit, quàm iuuenta. Hoc loco minimè prætereundum duxi, quòd amygdalus ſola minùs ferax cenſetur: aſſociata, fructũ dat celeriùs. Equinum fimum, eiúſque vaporem ſummè odit: maximè circa germinationẽ & flores: Hinc nimirum plures amygdalinas arbores ſterileſcere & ſicceſcere obſeruatum eſt. Theophraſtus tradit, & poſt eũ Plinius, ex amaris dulces fieri amygdalas, ſi ſtipite circũfoſſo, & ab ima parte perforato, defluens vndique pituita detergeatur. Quod Africanus in ſuis Georgicis græcis etiam monuiſſe videtur, hunc in modum ſcribens. Ex amaris dulces fient amygdalæ, ſi circunfoſſo ſtipite quatuor digitis à radice cauernula imprimatur, per quam lacryma quotannis effluat, donec dulceſcat fructus. Idem fiet ſi circa radices ablaqueatas, vrina & ſuillum ſtercus largius infundantur, deinde terra exaggeretur, et ſępius id repetatur: aut trũcus medius terebretur, & cuneus ligni, melle oblitus imprimatur, vt habet Pallad. Quin teneram & dulcem, ex dura & amara efficies, eodem Africano autore, ſi radicibus ante florẽ circunfoſsis, aqua calida frequenter ingeratur. Quod Gargilio Martiali, ſuo more parum prudenter aſcribit Pallad. Fructum facillimè amittit, nedum florem, ſi auſtrinum fiat cœlum atq; nubilum. Cæterùm, ex ſterili fructiferam reddes, vt ſcripſit Democritus in ſuis de re

Amygdalinæ arbuſculæ à pecore defendendæ.

Quomodo ex amaris dulces fiant amygdalæ.

Quomodo fiant teneræ & dulces amygdalæ ex duris & amaris.

Quomodo exsterili fiat fructifera amygdalus.

agraria commentariolis, si radices hyeme nudaueris: vel in perforatam arborem, vt vult Columella, lapidem adegeris. Quòd si perseuerauerit folia ferre, fructum verò nullũ dare, partẽ trunci iuxta terram forato, vel potius radicem, vt legit Palladius, & pinguis tedæ cuneũ in foramen transfigito, humanaq́ꝫ vrina affusa obruito: aut silicẽ sic insere, vt libro tegente claudatur. Theophrastus copiosiorem fructum dare promittit, si ferreus palus arbori adigatur, impressóque foramini querneus inseratur paxillus: quo modo in arborem animaduertitur, ac si iniuria lasciuiret.

Vt fructũ copiosum ferat amygdalus.

Remedium aduersus pruinam.

Vbi à pruina metus erit, Gargilius Martialis hoc remedio subueniri ait. Antequã floreat amygdalus radices nudentur, & albi lapides minutissimi arenis remisti congerantur: atque vbi iam tempus videbitur vt debeat germinare, effossi submoueantur. Porrò, inscripta nascentur amygdala, vt Democritus in suis adnotauit Geoponicis, & Palladius cõfirmauit, si aperta testa sanus tollatur nucleus ac integer, & in eo quod libuerit scribatur: inuolutusq́ꝫ papyro, & luto intectus, necnõ suillo stercore diligenter circũlitus obruatur. Itaque de arbore & eius secretis hactenus.

Quomodo inscripta nascantur amygdala.

Pulcherrima pictura amygdalarũ

Cuius nuculas, quas & amygdala & amygdalas nuncupauimus, gemino operimento tegi nullus est qui nõ videat: puluinati primùm calicis, mox lignei putaminis multos scarificatus sustinẽtis, et in rimulas varias dehiscentis, cui solidus subest nucleus. Maturitatem fatentur omnes, vt tradit Florentinus, cũ spoliatæ fuerint corticibus. Quæ si muria lauentur, candidæ fient, ac longo tempore incolumes perseuerabunt: sed ante repositionem debent in Sole siccari. Si collectæ difficulter

Quando maturæ amygdalæ, & quo modo seruandæ.

culter corium exuant, paleis obrutæ illud facilè relaxabunt ac deponent. Si illas ad magnitudinē mirandam prodire desideras, Persicorum caput consule. Quod ad longæuam attinet, custodiam, absque vlla hominis cura, vllóue externo auxilio, diu seruari possunt, modò locum nactæ fuerint idoneum & opportunum, qui austris minimè pateat, & situm ac marcorem non admittat.

Arboris Punicæ, ac eius pomi, cura, auxilia, & secreta. CAP. XIIII.

NVnc demum agendum mihi restat de arboribus quarum fœtus admiramur, palpamus, & gustamus, sed parentes ignoramus, non videmus, & desideramus. De Punicis, inquam, Aurantijs, Citrijs, Limonibus, Ficu & Olea. Quæ tametsi in septentrionalibus hortis nostris & agris non nascantur, nec foueantur, de his nihilominus hic scribere non detrectabo, vt labor noster, opera & studium, omnibus ex æquo prosit, Sanè huiusmosti arbores climati nostro cum suis fructibus vsqueadeo sunt implacabiles & infensæ, vt nullis blanditijs, nullis officijs, nullis obsequijs apud nos habitare velint, etiam si mitioribus locis hospitia illis designemus & offeramus: tantus est patriæ & natalium amor. Sed missa longiore præfandi mora, ad rem venio. Arbor Punica nostratibus Granata vulgò dici solet. à granorum seu acinorum multitudine. Cuius pomum vnà cum arbore nobilitauit Carthago: indéque nomen sibi adoptauit. Calido aëre gaudet, & in locis minimè aquosis plantatur, testimonio Floren-

Mirus autoris candor & modestia.

Quo cælo & solo gaudeat Punica.

rentini Græci, cui Palladius post Plinium suffragatur: additque solum macilentum ac cretosum amare, sed in pingui quoque prouenire. Seritur plantis de matrum radice auulsis. Sed meliùs procedet, si ponendus ramulus de gemmata assumatur matre, & scilla radicibus immittatur: nam ita lætior ac fœcundior fiet. Si tres lapilli in radice constituantur, prouidebunt ne poma findantur, quemadmodum scripsit Palladius. Rigatum & purgationem desiderat: soláque hæc arbor, cum vite & ficu, caudice fisso non emoritur, breui alioquin viuens spatio. Flos illi puniceus esse solet, oblongus & calathi effigiem repræsentans, aspectu sanequàm iucundo: balaustium vulgus nuncupat. Quanquam non sum nescius Dioscoridem satiuæ punicæ florem cytinum appellare, syluestris verò balaustium: cui Plinius non subscribit. Perdit facile ante maturitatem fructũ roribúsque nimijs & pruinis florem: qua de causa ramos eius inflectunt coloni, ne subrecti humorem infestum excipiant & contineant. Prolem sursum versus procreat, quæ corio & membrana tegitur, farctis intus numerosis acinorum granis, vnde Granati nomen. Qua voce vtuntur antiquorum plerique cum Columella. Scio non deesse qui pomum hoc ita nuncupatum velint à Granata regione Hispaniæ, quòd inibi numerosa proueniant punica. Quæ triplici specie à Dioscoride distinguuntur: in dulcia, acida, & vinosa seu mista. In quibus & fructus, & acinorum magnitudine, adhæc liquoris copia præcellunt vinolenta. Plinius species quinque fecit, dulcia scilicet, acria, mista, acida & vinosa. Acida fieri creduntur, si assiduè rigentur, nam siccitas in his & suaui-

Quomodo serenda Punica.

Nẽ findātur Punicę mala.

Flos Punicæ qualis,

Ne floré & fructũ amittat Punica.

Punicũ malũ vnde Granatum appelletur.

Punicorum species.

suauitatem præstat & copiam: cuius tamen nimietati, vt Palladiano vtar verbo, aliquid debet humoris opponi. Si ex acidis dulcia facere voles, stercore suillo & humano, vrináque vetere radices irrigabis, Columella autore. Quin & nos, ait, etiam exiguum admodum Laser Cyrenaicum vino diluimus, & ita cacumina arboris summa obleuimus: ea res emendauit acorem malorum, & apyrenum, dulcémque fructum fecit. Paxamus Græcæ agriculturæ professor peritissimus, eam in rem arboris radices circunfodi iubet, suillumque stercus sublini, deinde terra superingesta, humano lotio rigari. Sed de hoc, inquit, in alio nostro Georgico opere perfectius à nobis dictum reperies. Georgicum opus illud desiderari intelligo, vt alia antiquorum pleraque, magna rei literariæ iactura. Rursum ex acidis dulces facies, si ablaqueatis radicibus tedæ clauum infigas Sunt qui algam marinam radicibus obruant, & ei asininum stercus cum porcino remisceant. Ne punica in sua rumpantur arbore, remedio sunt lapides tres ad radicem collocati, dum seritur arbor: quæ si iam sata est, scilla secundum radices plantanda venit. Aliter cùm matura fuerint punica, antequam rumpantur, petioli quibus dependent sunt intorquendi. Quæ res etiam præstat vt anno toto viridia seruari possint in arbore, quēadmodum ex Columella Plinius & Palladius adnotarunt: vel potius ex Florentini & Africani Græcis Georgicis, & ij & ille transcripserunt. Sed præter iam dicta, idem Africanus in excauatos scrobes, dum pangitur arbor punica, cochleas inijcit, si quidem reperiri possint: vel scillæ bulbos vnà mittit, cœca quadam naturarum discor-

Quomodo punica fiant acida.

Quomodo ex acidis dulcia euadant.

Modus Paxami pulcherrimus.

Alius modus

Ne findātur punica in arbore.

Quomodo punica seruabūtur viridia in arbore.

Quomodo in miram magnitudinem crescant punica.

discordia. Tradunt in miram magnitudinem punica mala protuberare, si olla fictilis circa arborē obruatur, vel ita aptetur, vt ramus cum flore in illa claudatur, ad palum, ne resiliat, illigatus, ipsáque olla contra aquarum incursus operta muniatur: nam suo tempore poma eiusdem magnitudinis qua fuerit, opportunè reddet: imò verò ad illius rei figuram efformata, quam ollæ aut vasculo impresseris, quemadmodum tradit Gargilius Martialis apud Palladium. Qui etiam pro-

Quomodo comparetur punicorum multitudo.

mittit Punicorum multitudinem, si tithymali & portulacæ succus æqualiter mistus, trunco arboris, antequā germinet, illinatur. Quod Democriti georgicis acceptū ferre debebat Palladius, non

Quomodo florem continebit arbor punica.

Gargilio Martiali. Si florem non continet arbor punica, veterem vrinam cum aquæ mensura pari temperabis, & per annum radicibus ter infundes vni punicæ amphora ingesta sufficiet. Snnt qui algam radicibus iungant, vel florentis arboris truncum, plumbeo circulo concludant: aut anguis corio circundent, vel bis in mense irrigent.

Quomodo à vermibus defendatnr punica arbor & eius poma.

Si vermibus laborant tam poma quàm arbor, radices felle bubulo sunt tingẽdæ, & continuò morientur. Si clauo æneo, vt alibi scripsimus, illos purgaueris, non facilè renascentur. Quibus etiam appositè obuiabis asini vrina suillo stercori admista & radicibus affusa, vt tradit Palladius. Cę-

Vt punica diu feruentur viridia in arbore.

terùm, in sua arbore viridia longo tempore permanebunt punica, vt scripsit Florentinus, si petiolos, vel potius ramulos, dum in vigore sunt poma, semel atque iterum contorseris, & cucurbitas aridas ac rapa singulis circundederis, ne humectentur, aut ab auibus arrodantur. Si infœcūda fuerit punica arbor, fructuosam reddes cinere

&

& lixiuio circa truncum frequenter infuso. Si ægrotabit & languida erit, curabitur, recreabitúrque vbi caudicem iuxta radices, algis è mari proiectis contexeris, & assiduè rigaueris. Candidi fient punicorum acini, si argillæ & cretæ miscueris quartam gypsi partem : & toto triennio hoc genus terræ radicibus insperseris, de Gargilij Martialis consilio. Didymus in suis Georgicis testatũ reliquit, punica rubicunda fieri, si cinis cum lixiuio circa arboris truncum crebrò immittatur, aut glandium cinere radices saturentur. Sine acinis nasci promittit Africanus si dempta medulla vt in vite, surculus adobruatur, & dum comprehenderit, quod emergit amputetur. Sed hoc loco prætereundum non arbitror, quòd ramis punicę gestatis, venenatę bestiæ procul arcentur: quapropter in stragulis & locis serpentibus obnoxijs illos securitatis ergo deponendos censent prisci rei agrariæ doctores, & interpretes, sicuti libro primo admonuimus. Punica arbor myrti coniugio apprimè lætatur, vt tradit Democritus, & ob id myrto insita fertilior euadit. Vtriusque radices & si aliquanto distent interuallo, nihilominus mutuo complexu exhilarantur. Quid ampliùs? Africanus in suis de agricultuta Cõmentarijs docet, quomodo punico decerpto ex sua arbore, dicere possis quot grana intus contineat. Pomum vnum, inquit, prius aperi, & quot acinos habeat dinumera, ac tibi in singulis tot esse persuade, etiam si magnitudo variet, modò ex eadem arbore legantur. Nam sola differentia erit non circa numerum, sed magnitudinem aut paruitatem acinorum. His vtcunque pro arbore & eius pomis expeditis, ad conditutam, repositionem, & tutam custo-

Remedium infœcundæ, languidæ & ægrotantis punicæ.

Vt candidi fiant punicorum acini.

Vt fiant rubicunda punica, & absque acinis.

Punicæ ramos venenata arcere.

Punicæ cum myrto summa amicitia.

Pulchrũ inuentum de diuinatione acinorum Granati.

custodiam commodùm venio. Berytius in suis de agricultura præceptionibus græcis tradit, punica ad hybernos vsus reseruanda, leni manu decerpi oportere, ne tactu asperiore vitientur, aut vulnus sentiant (quæ duo putrilaginis originem adferre solent) deinde pediculis in coctam & liquidam picem demersis, refrigerata, ex ordine suspendi debere. Sunt qui tota in picem mergant, & vbi refrixerint, suspendant. Alij arentibus floc culis singillatim inuoluta, funiculis obstringunt, ne tumescentia dehiscant in rimas: posteà gypso vndequaque illinunt & vestiunt, eóque modo munita ac loricata, in parente arbore hærere patiuntur: sed maioribus ramis alligari debent, vt immota maneant, & ventorũ vim sustineant. Palladius, & ante illũ Columella, ex Grecorũ placitis, atque adeò vnius Berytij, tradit diu seruari posse punica, si integra vt diximus collecta, & lino spartóue colligata, in aqua marina, vel feruẽte muria tandiu demergantur, vt liquorem combibant, & madescant: siue, vt legit Columella, tantisper demittantur dum decolorentur, deinde Solè triduum resiccentur, sed ita vt nocte sub dio non maneant: posteà loco frigido suspenduntur: cùm volueris vti, aqua dulci macerabis. Sunt qui in scobe querna prius aceto suffusa ordinatim obrũ ant. Alij argilla, vel figulari creta induunt, & siccata, loco frigido suspendunt, atque cùm vsus exegerit, in aquam demittunt, & cretam resoluunt. Plerique attactu illa inuicem separant, & paleis diligenter operiunt. Columella pediculos pomorum sicuti sunt in arbore contorquet, ne pluuijs rumpantur, & hiantia dispereant: deinde ad maiores ramos alligat, vt immota maneãt: mox spar

Quomodo punica ad hybernos vsus seruari debeant.

Vt longo tẽpore seruentur punica.

Varij & pulchri modi custodiendorũ punicorum.

Ne rumpãtur, aut inter hient punica

teis

teis restibus arborem cludit, ne à coruis aut cornicibus, aliisve auibus eius soboles laceretur. Sed ad Berytium de punicorum custodia scribentem redeo. Is singulis fictilibus ollulis punica singula ex arbore pendentia collocat, & diligenter operta ita munit ac stabilit, vt neque ad ramos aut trũcos offendát, vel mutuo collisu sese atterát & cõfringant. Cui Columella ad vnguem subscripsisse mihi videtur his verbis: Nonnulli vascula fictilia dependentibus malis aptant, & illita luto paleato arboribus hærere patiuntur. Alij fœno vel culmo singula inuoluunt, & insuper luto paleato crassè linunt, atque ita maioribus ramis alligant, ne, vt dictum est, vento commoueantur. Sed hæc omnia sereno cœlo administrari debent absque rore: quæ tamen aut facienda non sunt, quòd lædantur arbusculæ, aut certé non continuis annis vsurpanda, præsertim cùm liceat detracta mala ex arbore, modis multis innoxia custodire, sicuti antea ostendimus, & nunc demùm etiam ostensuri sumus. Palladius docet optimè seruari, si feriola obruatur sub dio quæ habeat arenas ad medium vsque, & cum suis ramulis lecta mala imprimantur singula cannis singulis, vel sambuci virgulis, & ita in dictis arenis separata figantur, vt quatuor digitis emineant ab arena. Hoc idem paulò aliter & apertiùs Columella sic est prosecutus: Sub tecto, inquit, fossulę fiunt tripedaneæ loco siccissimo, eóque dum aliquantum terræ minutæ repositum est, infiguntur sambuci ramuli: deinde sereno cœlo granata legũtur cum suis pediculis, & sambuco inseruntur. Quoniam sambucus tam apertam & laxam medullam habet vt facilè malorum pediculos recipiat. Sed cauere

Pulchra & notatu digna pro seruandis punicis.

Modi alij custodiendorũ punicorum.

Artificiũ pulchrum & ingeniosum.

uere oportebit, ne minùs quatuor digitis à terrâ absint, & ne se contingant poma. Tunc factæ scrobi, operculum imponetur, & paleato luto circumlinetur, ac ea humo quæ fuerat egesta operietur. Sunt qui in calidam aquam intincta, & statim exempta diutissimè incolumia seruant. Alij in siccam arenam distincta & secreta deponunt, aut in frumentario aceruo ad vmbram, donec rugosa fiant, diligenter condunt. Plerique, vt Palladius adnotat, in feriola cui ad medium aqua mittatur, punica sic suspendunt, ne humorem tangăt, quæ postea diligenter clauditur, ne ventus irrumpat. Alij in dolio hordei pleno ita collocant ne se inuicem contingant, illúdque desuper operiunt. Non desunt qui illa cum ramulis arbori detrahant, & creta figulari perlita, vbi diligenter maturuerunt, in Sole desiccant: deinde si quà rimam creta fecit, luto linunt, & rursum assiccata frigido loco suspendunt, quemadmodum scribit Columella. Qui hanc rationem postremam custodiendorum granatorum à Græcis geoponicis tacitè mutuatam, sic nobis proponit. In vrceo fictili nouo (inquit) scobem populneam, vel ilígneam substernere oportet, ac ita disponere vt scobs inter se calcari possit. Deinde facto primo tabulato rursus scobem substernere, & similiter mala disponere, donec vrceus impleatur. Qui cùm fuerit oppletus, licebit operculum imponere, & crasso luto diligenter oblinire. Omne autem pomum quod in vetustatem reponitur, cum pediculis sustis legendum est : &, si absque arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis, nam ea res plurimùm ad perennitatem confert. Hactenus de punicorũ repositione & custodia, in qua demonstranda & recen-

Inuentiones miræ pro seruandis punicis.

Viæ aliæ custodiendorũ punicorum.

Notatu digna quia pulchra.

Quomodo legendũ pomũ quod vetustatem ferre debeat.

recensenda, si tibi prolixior sum visus, factum id puta, quòd hæc ratio multa habeat communia cum reliquis pomorum generibus. Cæterùm, hîc non omittam quòd ex punicis seu granatis vinũ medicatum fieri solet tali arte ac methodo. Acini maturi diligenter ex suis membranis seclusi, prælo committuntur ac exprimuntur: mox vinum saccis ad id accommodatis percolatur, & in vasculis reponitur quousque fex residat, deinde clarum custoditur affuso desuper oleo ne corrumpatur, vel acescat. Sunt qui absque oleo illud in cadis asseruẽt, sed per æstatem facilè acescit. Modi alij sunt requirendi à consultissimis agriculturæ & medicinæ professoribus, uam, vt dixit Poëta, *Non omnia possumus omnes*. Illud interim nõ dissimulabo quod apud Hieronymum Cardanum legi: nimirum corticem punici mali ferrum in chalybem mutare: sed modum subticuit.

Quomodò fiat vinum medicatum ex punicis.

Oleum ab acore vinũ tuetur.

Arborum Citriæ, Aurantiæ, & Limoniæ, earundemque pomi, cura, auxilia, & secreta. CAP. XV.

Citria arbor, quia apud Medos & in Perside nata ac educata fuit, idcircò & Medica & Persica Theophrasto, & Assyria Plinio vocari solet. Hanc gentes plurimæ ob remedij præstantiam, frustra olim sudarunt ad se transferre fictilibus in vasis, dato per cauernulas radicibus spiramento. Plinii æuo in Italia non vigebat: primúsque Neapolitanus Palladius cultu & diligẽtia è Medis in Latium transtulisse ac propagasse dicitur. Quem solers imitata posteritas, meri-

Arbor citri dicitur Medica & Persica dicatur.

Palladius arborem citri primus in Latium transtulit.

dionali Galliæ & Hispaniæ ceu per manus tandē communicauit. Amat terram rarioris naturę quē admodum idem scribit Palladius: adhæc cœlum calidum & humorem continuum.

Quo solo & cœlo gaudeat malus citrius.

Ipsa ingens arbos (inquit Virgilius) faciémque simillima lauro:
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllu labentia ventis:
Flos apprima tenax.

Pulchra arboris citri descriptio.

Et Iouianus Pontanus,

Ipsa quidam lauro foliísque, & cortice, & ipso
Stipite tum similis, tum frondescente iuuenta:
At cono inferior, ramísque valentibus impar:
Nam florum longè candore. & odoribus antêit.

Hæc arborum omnium sola ab austro opem sentit, & ab aquilone læditur, autore Florentino in suis de agricultura Græcis Rudimentis. Si quis in regione frigida illam nutrire & curare uolet, loco ad meridianam partem conuerso debet disponere, & hybernis mensibus stramine, aut tegetibus operire, & maximè cucurbitarum sarmentis: nam sympathia quadam illam à frigore illæsam seruare dicuntur, vt idem scripsit Florentinus. Hinc factum videas, vt multi non ineptè prope citriam cucurbitas vbique serant, nam ab his iuuari creditur. Vbi æstas refulserit, nuda arbor aeri tuto est reddenda ac exponenda. Gaudet assidua fossione, ex qua maiora proueniunt poma. Stirps ea suapte natura tenerior, si paucam glaciem experiatur, syderata contabescit. Quare diuites in concameratis fornicibus ad Solem spectantibus, illam prope parietes collocant, copiosóque humore rigant. Dum æstas aduentarit, aper-

Cucurbitas citriam seruare ac iuuare.

Arbor citria frigoris impatiens.

apertis fornicibus, vt dictum est, Sole illustrari sinunt, & eius tepore vitalíque spiraculo foueri ac recreari. Appetente rursum hyeme sub fornices reducunt. Seritur semine, talea, ramulo, & claua, vt in suis Georgicis græcis tradit Anatolius. Si semine vel granis serere satagis, hunc in modum de Palladij consilio incedere tibi licebit. Imprimis terram ad duos pedes fodies, cinerémque miscebis ac in breues areas digeres, vt vtrinque per canales aqua discurrat. In dictis areis palmarem scrobiculum manibus aperies, & tria grana verso deorsum cacumine, iuncta constitues, ac obruta quotidiano imbre resperges, vt rigatione animata melius adolescant. Acreis medullas in dulceis mutabunt, si per triduum mulsa maceraueris, citiúsque procedent, si aquæ tepentis beneficio vtaris, vel ouillo lacte, quod præstat. Seruntur etiam fictilibus, dato radicibus spiramento per cauernas. Natis germinibus proxima herba semper runcanda est, & planta trima transferenda. Quæ plurimum iuuari creditur circumsitæ cucurbitæ flagellis: nam naturali & occulta quadam vi, illam, vt diximus, à frigorum iniuria vindicant. Ex quo combustæ cucurbitarum vites, citri radicibus vtilissimum præbent cinerem. Si arborem increscens fructus degrauat, poma multa detrahere conueniet, ita enim alenda, vegetiore proficient incremento. Calidis locis partum nunquam alternat, sed perpetua fertilitate pomificat, alijs pubescentibus, alijs adultis, alijs maturitate caducis. Vnde sic gradatim illius succedunt poma, vt maturis se substituât acerba, acerborúmque ætatem florentia consequantur: orbê

Quomodo semine seren da sit arbor citri.

Quomodo acres medullas mutêt in dulces citri.

Remedium arboris quæ à suo degrauatur fructu.

Mira arboris citri pomificatio & fœcunditas.

quendam continuæ fœcunditatis sibi ministrante natura, quæ hâc fœturam non interpellat, sicuti præclarè adnotauit Plinius. Soli flores qui velut eiectam in medio colum gerunt, fœcundi creduntur: qui verò ea carent, sterilescunt, infertilesque labuntur. Porrò, hîc mihi dissimulandum non est, quòd hæc arbor alijs annecti recusat. Cuius pomum citrium vulgò nuncupatum, effigie rugis caperata, oblonga, & interdũ rotũda, aureo colore suppallido illustratur, comite gratissimo odore, & acidulo sapore. Non mandebatur Theophrasti ætate, sed ne Plutarchi quidem auorum memoria, vt Athenæus scriptum reliquit. Parthorum proceres huius grana duntaxat incoquere solebant esculentis, cõmendandi halitus gratia. Quod plerique ad folia detorquent non minus odorata quàm pomum ipsum. idcirco vestibus vtrunque perapte interseri solet, vt eas suaui odore perfundat, & ab offensis vindicet: vnde Homerus & Neuius vestes citrosas cognominarunt. Si pubescens pomum, fictili vel vitro claudatur, per incrementa non solùm formam vasis contrahet, sed tanta magnitudine, quanta fuerit vas, extuberabit. Quod si effigiatum fuerit, formæ & imaginis speciem inclusum pomum præ se feret: sed vasi oportet perspirationem relinquere, vt anteà monuimus, hoc est, foraminula addere, quibus aërem admittat, ex Florentini cõsilio. Est alia via & ratio effigiandi pomi à nobis superiùs tradita, quando malorum historiam percurrebamus. Cęterùm, si rubra citri poma voles efficere, surculum moro inserito, & rubrũ pomum dabit. Medium pomi dulce fiet, vt tradit Palladius, si truncus obliquo foramine ab imo tere-

Pulchra descriptio & pictura citri pomi.

Summè notãda & aduertenda quia pulchra.

Quomodo citrium pomũ nascatur effigiatum.

Quomodo rubra fiant citria, & medium illorũ dulce.

terebretur, vt altera parte nõ exeat: sic humor effluere permittetur donec poma formentur: mox foramen luto replendum erit. Idem fieri affirmãt si semina priusquàm ponantur, ouillo lacte, aut mellita vel saccharata aqua maduerint, aut in recẽti ficu dies aliquot sepulta fuerint, aut in aqua decoctionis ficuum quadragesimalium emaduerint. Sed pulchrum erit his de rebus audire Iouianum Põtanum, de Citriorum & Limoniorum mutando sapore hunc in modum scribentem:

Aliud vt citria fiant dulcia.

Quò non ars penetrat? palmes cædatur, & ipse
Crassior: in palmúmque cauetur, & vndique labris
In gyrum ductis, nec pollice crassiùs, illuc
Infer mella liquata, & grandi contege saxo,
Quod Solem auertat: postquam arida suxerit arbos
Inclusum humorem, & sitiens noua pocula gliscit.
Mella cauo immersans flauentibus imbue riuis.
Vel vacuam solers thymbreo nectare cellam
Distende, ac lactices humano è corpore fusos
Mollibus irrora radicibus: interea ne
Neglige frondosum toto de stypite germen
Vellere: non dêerit fœlix fortuna labori.

Ingeniosa, pulchra & notatu digna.

Hactenus Iouianus Pontanus, poëta, orator, & philosophus ad vnguem factus. Qui citriorum historiam in suis Hesperidum hortis omnibus partibus docto ac eleganti carmine absolutam reddidit. Hunc si videbitur, leges & consules. Venio ad citriorum condituram & repositionem ab antiquis acceptam. Itaque si aptè voles citria colligere & optimè seruare, nocte cum suis foliatis ramulis, latente Luna carpere debes, & secreta disponere: autor G. Martialis. Sotion inter Græcos geop. celebris, promittit citria nullo mo-

Iouiani Pontani laus.

Quomodo optimè colligenda & seruanda citria.

do putrescere, quæ aceruis hordei aut milij obruta fuerint. Alij singula singulis fictilibus claudunt & opaco loco ordinata custodiunt. Plerique in minutis straminibus seruant: vel paleis, aut scobe lignea. Idem Sotion iubet pomnm citrij subacto gypso studiosè lini, vt toto anni curriculo inoffensa integritate, & omni vitio illæsum custodiatur. Sed ne, quæso, obliuiscaris, quòd calido pani si superponantur citria putrilaginem celeriùs concipient, & in corruptionem promptiùs agentur.

Modi alij valde notandi.

Hæc de citrijs: de Aurantijs nunc paucis dicendum: quorum arbor citriæ plantam magnitudine æquat, & folijs ab ea parum, aut nihil refragatur.

AVRANTIA poma cùm auri colore pelluceant, ab auro nomen meritò accepisse mihi vidētur, ex quo aurea mala dici possunt. Quæ ex viridi in luteum languescunt, citreola & citrula nominant. Quæ verò ouata specie turbinantur, si luteo nitent colore, citrangula, & priuatim citrea appellant. Si herbaceo colore virent, limonia dicunt. Si prægrandia sunt melonum modo & orbiculata, ouatáque facie turgent, poncería & citromala vocitant. Quæ omnia specierum vernacula nomina, à citrio deflexa videntur. Cum quo cōmunia ferè omnia habere creduntur, tam auxilia quam secreta. Quæ res me mouet vt de illis in præsentiarum nihil amplius scribam. Transeo itaque ad Limonia: quorū cura, cultus & auxilia cum citrijs conueniunt. Súntque in triplici differentia.

Vnde dicta Aurantia poma.

Citreolā, citrāgula, limonia, poncería, & citromala.

LIMONIA.

Tres limoniorū differētiæ.

-altera fœtu
Exiguo, succos gustu meditantur acerbos:

Alte-

Altera sunt fructu maiore, & rorida succo
Vberiore, sed oblongo tamen vtraque ductu:
Tertia prægrandi turgent ouata volemo,
Ac citrij referunt sinuosa ab imagine formam,
Sed gustu ingrato, quémque ora offensa recusent.
Est idem cunctis cultúsque, & cura, & iniquum
Cœlum indignantur, frigusq́ue, æstúmque recusant.

Qui plura volet, consulat librum secundũ Horti Hesperidum Iouiani Pontani: illic reperiet quo sibi abundè satisfactum dicat. Hîc finem etam facturus, nisi mihi in mentem opportunè venisset, quòd succo limoniorum bis aut ter colato, si integras margaritas lauabis & immerges, Solíque expones, in quinque aut sex diebus ita colliquabis, vt mellis consistentiam referant. Ex ea materia poteris formare quicquid tibi visum fuerit, & paucis diebus diues fieri. Autor Hieron. Cardanus: cui ingenteis debentur gratiæ, si vera sunt quæ tradit. Hîc non omittam quod apud Leuinũ Lemnium medicum doctiss. scriptum & adnotatum legi: nimirum limonijs tam acidum succum inesse, & vsqueadeo exedentis naturæ vt si ei per horas aliquot aureum numisma inseras, accisso imminutóque pondere illud eximi deprehendes nam penetrabile frigus adurit. Quanquam alia subest causa, quæ, vt alijs describendis suus detur locus, hîc nobis non temerè relinquetur.

Notanda de succo limoniorũ margaritas colliquente.

Succũ limoniorũ auro suum pondus eyimere.

Arboris Fici ac eius pomi cura, auxilia, & secreta. Cap. XVI.

FIcum Columella tradit aprica loca, calculosa, glareosa, & interdũ saxosa maximè amare. Quo in situ celeriter conualescit, modò scro-

Quibus locis gaudeat ficus & quæ terra ei quadret.

bes amplos & idoneos feceris, & altos, vt vult Palladius. Qui genus terræ durum, gracile ac siccum, ei etiam quadrare scribit, pro vtili pomorum sapore. Quæ in montanis & frigidis locis nascitur, quia minus lactis habet, ad siccitatem durare non potest: quare vsus illi in viridi est. Quæ in planis & calidis locis viget, pinguior est, & ob id, in siccitate durabilis. Sanè, cùm delicatula sit planta, facilimè perit à glacie, ac citò à ventis disrumpitur. Quare ab his summè est tutanda, quemadmodum in suis Georgicis admonet Didymus. Qui multitudinem aquę, & crebrą rigationem, pomorum arboris huius naturalem pulchritudinem corrumpere, iisque putrilaginē conciliare tradit. Nec omittit arborem hancsemine prouenire posse, si quis maceratas ficos reti obducat, & cum eadem obrutas frequenti imbre irroret: sic enim complures emergent arbusculæ, quas oportebit transferre in scobes. Si quis viuiradicem pangat, scillæ bulbos interijciat, aut muria madefactam collocet. Præstabilius tamen fuerit, siue plantulam, siue ramulos feras, bubulo fimo madefacere. Sunt qui calcem viuam cum planta adobruant, vt idem prodit Didymus, arbitrantes sic satam suo domino nequaquam decoquere. Alij rubricam ab laqueatis radicibus adijciunt, alij verò cinerem. Iuxta scillam sata Plinio lætior cuadit: imò verò ocyus augetur, minúsque vermibus infestatur: quæ senescens fertilior esse solet, quàm adolescens: excitato puluere non solùm virescit, sed etiam increscit ac proficit: ad quem vsum ficos solent suffodere coloni, cùm puluere opus fuerit. Non desunt qui radices amputandas con-

Vera præstatior ficus, in mōtanis nascens, an planis.

Ficum non ferre glaciē, ventos, nec aquas.

Quomodo semine proueniat ficus.

Ficus senescens fertilior quā adolescens.

contendât, & cinere obstruendas, caudice passim vulnerato: copiosiorem fructum inde sperantes. Recidenda sunt in ea arbore, quæ aut putria aut malè nata reperientur: alioquin locis humectis pomum dabit saporis obtusi: circuncisis contra hoc radicibus, aliquâtus cinis debet apponi. Hęc ex fructiferis vna est quæ nunquâ floret, ac breui tempore in ficeto viuit. Cui caprificus permiscetur, ne ante maturitatem fructus amittat ac vermes creet, quibus alioquin summè est obnoxia: adhæc, vt non sit necesse per singulas arbores ficulneas, caprifici poma in remedium suspendere. Si hoc desit, abrotoni virga, vt docet Palladius, suspenditur: aut callum quod in vlmeis folijs inuenitur. Si id rursum non fuerit in manu, arietis cornua circa radices obruentur. Vel trûcus ipsius arboris, qua parte turget, scarificabitur, vt possit humor effluere. Si vermibus laborauerit, ramû terebinthi, vel lentisci taleam cum plâtis fici, cacumine inuerso ponemus. Perdentur verò calce viua radicibus inspersa, vel in cauas trûci parteis missa. Sunt qui æreis vncinis illos tollant. Alij amurcam, alij veterem vrinâ ablaqueatis radicibus miscent: adhæc bitumen & oleum. Si voles vt ficus sua poma serò proferat, hoc est, si maturam ficum cupis serotinâ facere, secretum id docentem Columellam ausculta. Cùm grossuli, inquit, minuti erunt, id est, cùm fabæ magnitudo illis fuerit (vt interpretatur Palladius) ex arbore decutito: hoc faciens coges vt alterum fructum edat iterum, cuius maturitatê in hyemem feram differet. Summè prodest simul atque folia agere cœperit, rubricam amurca diluere, & cum stercore humano ad radices profundere: nâ res ea vberiorem

Ficus sola ex fructiferis nûquam floret, vermibus summè obnoxia.

Ne ficus fructus amittat.

Remedium aduersus vermes.

Vt ficus serotina ferat poma.

Vt fructum vberiorem ferat ficus.

riorem fructum, & pomi farctum speciosius ac plenius efficit. Prodest insuper cum frondere incœperit, acutissimo ferramento summa cacumina nonnunquam amputare: sic enim firmior fit arbos ac feracior. Democritus in suis Georgicis asserit, ficum pomorum iacturam non facere, si caudex mororum succo fuerit illitus. Adhæc fructum non abijcere ægrotantis modo, si radices sale ac marina alga, aut fuco marino, vt legit Ruellius obducantur. Vel si quadrantibus Lunæ caudices rubrica oblinantur: aut caprifici grossuli, vel intorta ex his serta arbori suspendantur. Addit ille idem Democritus, quòd si Pleiadum emersu quis in excauatum scrobem pares aquæ & amurcæ portiones mistas, circa truncum infundat, arbor sui fœtus tenax, pomum nequaquam abijciet. Ad quam rem Palladius cancrum fluuialem cum rutæ ramo eidem arbori suspendit, aut fascem lupinorum: præcepítque terebratæ arbori nonnunquam cuneum desigendum, vel securi corium illius sæpè proscindendum. Si syluestrem mansuefacere volueris, amputatos ramos vino & oleo per septem dies irriga, & optato potieris, quemadmodum scripsit Africanus. Si scabie laborauerit, curabis ex Leontij præscripto, scilla iuxta radices plantata: aut rubrica aqua diluta, & circa truncum affusa. Si arbori molestæ fuerint formicæ, rubricā butyro & pice liquida mistam circa truncum induci iubet Palladius. Sunt qui pro amuleto coracinum piscem arbori suspendant: de quo & auxilijs alijs, libro primo abundè scripsimus, ad quem si videbitur recurres. Democritus promittit ficus præcoces, si columbinum fimū, piper item ac oleum radi-

Quomodo ficus fructū nō abijciet.

Vt ficus sui fœtus sit tenax.

Vt syluestris ficus mansuescat et scabie liberetur.

Ne molestæ sint formicæ.

Quomodo fiant præcoces ficus.

radicibus indideris. Idem etiam continget de Palladij consilio, si succo longioris cepæ cum oleo & pipere misto, poma inunxeris, quãdo grossi rubêre incipiunt. Cęterùm vt fructum varium ficus exhibeat, ita vt pomum altera parte nigrescat, altera verò candicet, sic coitum eum aggredieris. Duorum ficorum diuersorum semina siue grana linteolo deligata, fere: & cùm res postulauerit arbusculam transfer adultam. Si ficus inscriptas vel figuratas tibi comparare voles, ficulneum oculum ea quam cupies figura inscribito, & poma hac specie insignita habebis, si non mentiuntur Democriti græca Georgica. In quibus etiam tradit, quòd si quis fici esu alui deiectionem moliri cupiat, veratrum nigrum cum lactuca marina seu tithymalo tritum, radicibus arboris eius quæ deponetur, debet inserere: hinc quæ nascentur poma ventrem mouebunt. Res eadem fiet, si purgantia alia simplicia, vt loquuntur, addideris. Cuius rei experimentum etiam in aliarum arborum pomis, vt anteà diximus, tibi facile erit. Illud ex Columella hîc nequaquam prætereundum duxi, quòd decocta caprificus & cum cibo alitibus atque gallinaceis exhibita, ficorum fastidium illis creat, quorum alioquin sunt appetentissimi. Addo quòd succo ficuum satiuarum lac à plerisque cogi solet, syluestrium verò nequaquam. Quod vnum, si ad ignem tepefiat, ficique ramulo moueatur, idem, testante Africano, præstabitur. Imò verò & succo ex vulnerato fici cortice stillãte. Si ficus celeriter maturescere voles, vbi ad iustã magnitudinem creuerint acu perforabis, oleoq; illines, deinde oliuæ folijs circunteges, ac ligabis. Autor

Vt fructum varium exhibeat ficus.

Vt ficus nascantur inscriptæ.

Vt ficus sint deiectoriæ alui.

Vt alites ficus non attingant.

Quomodo lac cogatur absq; coagulo.

Vt ficus celeriter maturescant.

Petrus

Petrus de Albano. Sed nec istud hoc loco mihi est dissimulandũ, quòd tam passæ, quàm recentes ficus, panis ac obsonij vicem olim habuerunt, eoq; cibo prisci athletæ vires aluerunt priusquam Pythagoras exercitator eos ad carnes transtulisset. Sale inueteratis etiam casei loco vesci excogitatum est, Plinio autore. Hîc duo prodigiosa naturæ miracula mihi in mẽtem veniunt. Vnum tauros quamlibet indomitos & feroces, fico alligatos cicurari, & immobiles conquiescere. Quod & caprifico illorum collis circumdatæ, Plinius ascripsisse mihi videtur. Alterum, victimas, cæsorúmque animalium carnes perquàm celeriter tenerescere & fragiles effici quæ in fico pependerint. Postremi rationem in Symposiacis Plutarchus petiuit. Cùm inter obsonia Aristionis, inquit, coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum recentem, tenerum ac penè friabilem obtulisset: tam citam teneritudinem fico referebat Aristion, contendens iugulatas aues etiam præduras teneritatem contrahere, quæ pensiles fico adhæserunt. Causam adfert, quòd auram, halitúmque vehementem ac digerentem expiret ficus, quo carnes desiccantur & concoquuntur. Idem etiam continget, vt id obiter admoneam, si tritici aceruo obruantur, aut penitus demergantur. Hæc de parente arbore satis: venio ad sobolem, & eius custodiam. Ficus seruari possunt virides, vt scribit Africanus, et cõfirmat Palladius, si in melle ita disponantur, vt neque se inuicem, neq; vas contingant, quod operculo diligenter tegi debet. Idem continget si singulæ intra viridem cucurbitam claudantur, loculis vnicuique cauatis, & suspensa in vmbroso loco cucurbita, vbi

Pulchra & notatu digna.

Tauros feroces á fico cicurari.

Carnes ad ficum suspensas tenerescere.

Cur iugulatæ aues tenerescant in fico pensiles.

Quomodo seruentur ficus virides.

vbi nec ignis, nec fumus inspiret. Verùm cùm petiolis legi debent, nam sic diutius integrę durant. Alij calicem vitreum, aut aliud quoduis perspicuum poculum super ficos leuiter inuertunt, & obducto cera spissamento ita relinquunt, ac immarcescibiles seruant. Scribit ille idem Africanus musteas, ac si in parente essent, hunc in modum custodiri. Cùm vinaria dolia operculātur, in nouum fictile non rotūdum, sed potiùs ex arbitrio quadratum, fundóque fultum, recentes ficus minus maturas, cum suis pediculis lectas, immitte: & ita secerne, vt spatium intercedat, vbi diligenter fictile illud clauseris, in doliò vini pleno, ad vnguem operto, natare permitte: nisi acorē contraxerit, tali habitu ficus māsisse comperies, quali constabant dum iniectæ fuerunt. Quòd ad aridas attinet, quas Ischadas vocant, Paxamus in Gręcorum agricultura exercitatissimus, scribit à putrilagine vindicari posse hūc in modum. Passæ ficus, inquit, sine vlla cariosæ labis nota integræ manebūt, si tres liquida pice imbutæ ita collocentur, vt vna fictilis fundum obtineat, altera referto ficubus ad medium vase, ibidē resideat, & tertia eodem ad fauces vsq; completo, superficiem teneat. Durabunt insuper, vt ille idem tradit, si in tegete, qualo, sporta, vel cratibus inditę, calfacto furno, post panem exemptum, propendeant, & in noua, ac bene picata fidelia condantur. Sunt qui cum pediculo lectas, ferueſacta muria cum oleo, in Sole rigent: & in vas, luto, vt decet, oblitum, immittant. Alij, cratibus exponūt, toto Sole siccandas, & nocte sub tecta reportant. Modos alios cùm ex Columella, tum Palladio requires. Sed in hac ficuum historia tacendum non

Quomodo dulces seruētur ficus ac si essent in arbore.

Quomodo aridæ ficus a putrilagine vindicentur.

Varij modi custodiēdarum ficuum.

Modus popularis.

non eſt memorabile Catonis ingeniũ. Is dum pernicialі odio Carthaginis flagraret, & nepotũ ſecuritatis anxius eſſet, clamarétque omni Senatu Carthaginẽ delendam, attulit quodã die in curiã precocẽ ex ea prouincia ficum. Quẽ vt ſcribit Plinius Patribus oſtendens: Interrogo vos, inquit, quando hoc pomũ demptũ putetis ex arbore? Cũ inter oẽs recentem eſſe conſtaret. Atqui tertium, inquit, ante diẽ ſcitote decerptũ Carthagine, tam propè à muris habemus hoſtem: ſtatimq́; ſumptũ eſt Punicum tertiũ bellum, quo Carthago deleta eſt, & ſequente anno raptus Cato. Qui vnius fici argumento, res mira, tantam vrbem, & de terrarum orbe vnam per 120. annos Romanæ gloriæ æmulam, funditus euertendam ſuaſit, & tandem impetrauit. De ficu hæc ſatis ſint. Sed ô me obliuioſum: priuſquàm hinc abeam, illud ſilẽtio nequaquam inuoluam, quod Plutarchus tacitum noluit. Quid illud, inquies? equos et aſinos linqui animo, qui ficos dorſuarij comportarint: ſed maiore miraculo dignũ eſt remedium, quo & ipſis, & hominibus quoq; ſuccurritur. Exanimata ferè iumenta, extinctosq́; penè deliquio virium homines, obiectus panis reuocat: namque ſi pauxillum huius vorauerint, protinus cibo ſeſe recolligentes roborantur, & priſtinũ iter proſequuntur. Nec ſecus in hominibus eueniſſe, idem prodidit Plutarchus. Brutum, inquit, per altas niueis in Apolloniam proficiſcentem cùm animus defeciſſet, panis ab hoſte muros vrbis defendente proiectus, ex tẽpore recreauit. Potitus tandem rerum Brutus, de hoſte bene meritus eſt. Sed hæc nihil ad ficum, cuius præſidia, cultum, & ſecreta duntaxat hîc perſequimur.

Pulchra hiſtoria & notatu digniſſima.

Mira de equis & aſinis dorſo ficos portantibus.

Magna panis efficacia ad animum ſtatim reficiendum.

Oleæ satiuæ, ac eius baccarum, cura, auxilia, & secreta. CAP. XVII.

FLOrentinus Græcæ agriculturæ professor consultissimus, de plantatione et cura Olearum in suis Georgicis differens, scribit oportere eum qui rei rusticæ studio tenetur, plurimũ prouidentiæ ac diligẽtiæ circa oleã adhibere. Vel ob id quòd magnos habeat redditus & certos, hominemq́; citò ac facilè ditare possit: sicuti de historia Pliniani Democriti, vel Aristotelici Thaletis cõstat, quã tibi & fusè & plenè exponemus in nostro sterilitatis & vbertatis Opusculo. Sed ô dolor nobis non tã licet esse beatis, vt oleã arborem verè diuinã, septẽtrionalibus hortis & agris nostris aliarũ more videamus, colamus, & ex ea fructus vberes ac dites percipiamus: inscrutabili Dei opt. max. consilio, qui omnibus omnia non dat, sed quod bonum atque vtile nouit. Neque tamen ob id laborem detrectabo, vt quæ de illa, & eius baccis, necnon oleo scitu digna legi, vel audiui, cãdidè & ingenuè, vt omnia, in medium proferam. Venio itaque à verbis (quod dicunt) ad rem. Olea, quam Gallicum vulgus oliuerum nuncupat, siccis collibus & argillosis maximè gaudet, feruidúmque & squalidum cœli statum libenter amplectitur. In humidis campis & pinguibus frondes quidem lætas, sed plerunque steriles profert, rubricosum solũ prorsus repudiãs, quòd suo æstu stirpes eius exurat. Sed longè magis salebrosum ac scaturiginosum odit, in quo semper vligo consistit: ibi enim strigosas & minimè altiles baccas, faciléque marcescentes, procreat. Itaq; arduis locis & accliuibus summè oblectari

Plurimũ diligentiæ circa oleã adhibendum.

Oleam septentrionalibus hortis & agris desiderari.

Quibus locis & quo cœlo gaudeat olea.

Quodnã solũ repudiet olea.

lectari solet: quòd propitium illic nacta vētum, suæ nihil expiret saliuæ. In his enim Sxcellēs Solis æstus, ventorum afflatu mitescit, quare ibi oliueta generosam suis oliuantibus oleam, ac præstantissimum præbent oleum. In planis & campestribus, quia non difflātur, sed aduruntur, crassius & fœculentius oleum exstillant. Nec temerè, mea sententia, nam cùm stirpes omnes, tum maximè oleę, aduerso flatu roboratæ, summè vigēt. Vel eo argumēto & indicio, quòd lætiores & virentiores his partibus semper offendes, quæ ventis patent, tristiores verò & languidiores, quæ à flatu silent. Recreantur itaque spiritus nouitate, modò id spatij intercedat, quo liberè peruagetur aura. Autores sunt horum omnium post Pœnos & Græcos rerum agri scriptores, agriculturæ nostræ, Latinæ inquam, parentes & doctores eximij, M. Cato, Varro, Columella, Plinius, Palladius, & recentiores alij plerīq;. Apud quos etiam lego oleam fici societate imprimis gaudere, vnde iuxta illam seri præcipiunt, non ampliore interuallo, quàm vt contingi largè pòssit, ramo oleæ maximè sequaci atque obedituro. Huius stolones qui seminio destinabuntur, caudicibus adnati legi nō debent, sed decerpti ramis surculi longitudine cubitali, dandáque est opera, vt stylus parte una bubulo fimo cū cinere illinatur, & sectiōe cortex nō violetur nec collidatur, scrobsq; sinu concamerato excauetur, vt imbrium sit capax. Non desunt qui sectas ab imis radicibus soboles deponant, posteà cùm prehendisse vident, vt mutationi locus esse pòssit, transferunt. Sed maximum fuerit beneficium vt incremēto proficiant, ante quàm transferantur, & rubrica partes

(Margin notes: Vbi generosæ nascantur oleæ. — Oleas recreari auræ & spiritus nouitate. — Oleas fici societate gaudere. — Quomodo serēda olea. — Pulchra & notatu digna p̄ transferēda olea.)

tes cœli notentur, vt tradit Columella, quibus obuersę stant, vt simili ratione ponātur, ac transplantentur, eosdémque ventos excipiant, ac similes parteis intueantur. Scrobes ante sationem fodiendi sunt, vt Sole, ventis, & imbribus, terra fragilior reddatur, ac stirpes vltrò citróq; radices liberè agant, quæ iugi rigatu gaudēt: nam ita celeriorē edunt germinatum, faciliúsq; transponuntur. Cęterùm, locus quem oleis destinaueris, diligenter runcandus est, omniúq; alterius generis frutice extirpandus, adhæc macerijs aut sepibus vuis cingendus, vt Dydimus Græcus in suis admonet georgicis, ne pecori facilis pateat aditus. Fimi aggere impensè lætatur oleæ, vt scripsit Sotion, sed locis vliginosis parcius debet inijci, alijs largius, quòd fimo saturatæ lætius frondent ac fœcundantur. Cæterùm, opportunè resecare licebit quæ marcida & sicca erunt, vt liberalius diffluentur reliqua: adhæc ramulos detrahere qui inuicem incumbunt, inflexosq; & recuruos amputare, præsertim cùm in nimiam longitudinem exeunt, & in deformem proceritatem luxuriant. Nam inter omnes rei rusticę prudentes conuenit incommodā ac ineptā esse longitudinem olearū, quæ denos cubitos excedit. Addo quod incremētum noxis omnibus patere solet: frangūtur enim rami ventorū impetu, et flores aut fructus succussi, intēpestiuè procidunt. Ideo multi ramos terrā versus retrahūt, vt arborem in solū procumbere cogant. Sed ante omnia meminisse oportet, quòd cōpluribus interpositis annis oliuetum putandū est: cōuenitq; veteris prouerbij meminisse, Eum qui arat oliuetum rogare fructus: qui stercorat, exorare: qui cedit, cogere. Itaque octauo anno id

Præparatio soli oleas recepturi, vbi de stercoratione.

Quomodo purganda & curāda olea.

Quanta debeat esse olearum longitudo.

Quando putandum oliuetum.

O fecisse

fecisse satis erit, ne fructuarij rami subinde amputentur. Verùm stolones adnatiq; caudicibus nepotes adhuc molles & teneri, quotannis eximēdi erūt, ne his onustus caudex fatigetur. Porrò, summè curandum admoneo, ne cū æstibus hiabit terra, Sol per rimulas ad radices olearum penetret. Quas, vbi oliuario suos reddiderint fructus, collucandas suadet Africanus Græcus. Nā submotis petulantibus ramis, minus decoquent domino, maioremq; frugē ac liberaliorē nouelli rami impertiēt, vt nūnc nuper dictū fuit: est enim nepotū procreatione & stirpe fœlix olea, ducētos viuēs annos, vt tradit Theophrastus. Cui Plinius hunc in modū subscribit: Firmissimæ ad viuendū sunt oleæ, vt quas durare annis 200. inter autores conueniat. Hinc Argis olea, inquit, nunc etiā durare dicitur, ad quā Argus Io alligauerat in vaccā mutatam: adhæc, illa quoq; Athenis, quam in certamine Minerua edidit. Sed hęc quia poëticā olent vanitatē missa facimus, qui oleę synceram narrationē prosequimur, monemusq; vnā omniū esse, quæ in opere solet regerminare. Nam oleaginea eius materies tā rudis, q̄ elaborata, si humorem nacta fuerit, aut locū adepta humectū, germen citare cōsueuit. Cuius rei testē producam Pliniū, qui & cardinē valuæ oleaceū, & poculū limo immersum regerminasse tradit, subditq; à tinea nusquā rodi, necà teredine terebrari. Ex quo factum puto, vt prisci ex oleaū radicibus minorū deorū simulachra insculpi voluerint. Cæterū, ne qd in hac historia sciens omittā, quod vel legerim, vel obseruauerim, vel audiuerim, non tacebo, q̄ sturni oleis maximè solēt esse infesti. Quia turmatim volantes, illarum baccas cumulatim deijciunt. per-

Radices olearum a Sole defendendæ, & petulantes rami submouēdi.

Oleam annos ducentos viuere.

Oleam in opere regerminare, & tineis ac teredinibus non subijci.

Sturni oleis summè infesti, & quàm ob rem.

perdũt ac diripiunt. Quare ab oliuetis longè sunt arcendi, ne oliuis negotium faciãt, quarum sunt appetẽtissimi ob nucleum, q in illis suauissimus est. Quod prouida natura præuidens, muro fortissimo illum circumuallauit, adhęc carne & cute præmuniuit, nec id in alijs fructibus etiam neglexit, quorum nucleus veluti anima quędã est, propagationis mater & formatrix. Sed hæc alterius sunt instituti. Oliuã in profanis vsibus polluere olim nefas erat: imò ne propiciandis quidẽ numinibus ex ea altaria accendebantur. Illa est quæ equitum turmas coronauit, & minoribus triumphis ouantes illustrauit. Cuius rami portati indicium pacis fuerunt, ex quo olea à poëtis pacifera rectè nuncupatur:

Naturę summa sagacitas circa nucleos fructuum.

Oliuæ apud priscos mira dignitas & maiestas.

Paciferaq; manu ramũ pretẽdit oliua (inquit Maro) Quid illud, quòd Columba ex arca Noë emissa, oliuæ ramũ rediens potius attulit, quàm arboris alterius? Num vt significaret Deum optimũ maximum, tam prodigiosæ illuuionis autorem, pacatum fuisse ac reconciliatum? Verùm hæc quia theologica, theologis relinquo, & rusticam meæ oliuę narrationẽ repeto: quã vtiliter ac probè defloruisse dicũt, dũ caduci eius flores perforati reperiũtur. Illa ex arboribus vna est quæ folia post æstiuũ Solstitium statim cõuertunt (cuius rei fidẽ faciet experientia, rerũ dubiarũ & incertarũ magistra certissima) vnde inuersa, illud præterijsse indicãt. Sed hîc tria non minus admiranda quàm celebrãda, mihi peropportunè in mentẽ veniũt. Vnum, quòd olea quercũ valde odit, sicuti post Theophrastũ diligenter adnotauit Plinius. Nã si quercetum in cõfinio habuerit, non solùm illud nõ feret, sed etiã refugiet, seq; introrsum abijciet.

Oliua pacis nuntia.

Oleæ folia æstiuo Solstitio cõuerti.

Oleę et quercus summa inimicitia.

in fundum. Quinetiam aiũt excisam quercũ suæ radices propinquo olivieto noxias relinquere. Adhæc oleam eo loco positam vnde quercus effossa fuit, mori aut tabescere, si vera tradit Columella: vsque adeò mirabilis est harum arborum antipathia, & naturalis discordia: cuius causam natura nos potius mirari, quàm scire voluit. Alterum, non solùm contemplatione, sed admiratione summa dignum, quòd à mũdis pueris & virginibus olea plãtari, coli, ac vindemiari dili- git: aut ab his qui iureiurando affirmẽt, alienum torum vel cubile nõ violasse, licet vxores duxerint: nam ita lætior, fertilior, ac fructuosior euadere creditur, sicuti scripsit Florentinus Græcus in suis Georgicis. Cui suffragatur Palladius, causam addens, quod hæc arbor præsidem habeat castitatem, ob Mineruam eius tutricem & patronam. Tertium in olea mirabile est, quòd opem quandoque senserunt, & à capitis dolore absque vllis medicamẽtis leuati sunt, qui folio eius hoc nomen (Athena) scripserunt, ipsũmque folium capiti circunligarũt: quemadmodum tradit Zoroastes in suis de agricultura Commentariolis. Quod vnum quia vanam superstitionem redolet, tibi æstimandum relinquo: & oleæ meæ curam ac secreta repeto: cui malè esse creditur, cùm deflorescentem imber comitatur, aut cum circa Vergilias pluit, quoniam illius coitus tunc esse solet: & hoc illud est quatriduũ, vt admonet Plinius, oleis ac vitibus decretorium: hic articulus austrinus spurci nubili. Non omittam quòd vredini post ficum olea de omnibus arboribus summè est obnoxia: cui etiam impetigo peculiaris morbus esse solet, vti scabies fico, & vitibus fluor.

Oleã à mundis pueris & virginibus coli desiderare.

Folia oleę quomodo capitis dolores finiant.

Quæ tempestas oleis infesta & inimica.

Oleæ peculiaris morbus impetigo & vermes.

fluor. Vermiculis prætereà ab erucis non admodum differētibus valde infestatur: qui per flatus austrinos, vt ipes in vitibus, maximè gigni solēt. Morbos alios quibus priuatim patet, prudens omitto, ne dicendis suum præripiam locum. Oleæ flores ab apibus non degustari, nec attingi autor est Plinius: adhæc cicadas vmbram oleæ de omnibus arboribus summè diligere: traditque M. Varro oleam sterilescere, quam capra primo germinatu depauerit, aut ligna perlustrarit. Ex quo factum arbitror, vt Mineruæ olearum antistiti, caprini generis nihil immolarint prisci, vt tradit idem Varro: licet aliter sentiat Plinius. Diligēter itaque munienda sunt olivueta, ne ab his & reliquo pecore lædantur, sicuti antea adnotatum est. Oleæ fertilitas summa indicatur, vt Florentinus Græcus testatum reliquit, si non in obliquo & à lateribus, sed in summo ramo fructū gestet. Quæ si veluti ociosa, aut aliunde præpedita cessauerit, fœcundam reddes, vt scripsit Africanus, si in excauatum & terebratum truncum, duos feraciorис & fructuosæ oleæ ramulos ita adegeris, vt tra iectim penetrent: eosq; manibus prehensos tam fortiter ac validè traxeris, dū strictim adhæreāt, quo facto extantes foramini stilos sic resecabis, vt impacti cuneoli faciem præ se ferant: deinde luto paleato oras terebrati loci, ac hiātem sinum diligenter lines. Hoc veluti initu grauida arbor, vberiorem partū enitetur. Sed meminisse oportet, quòd etiam valentibus & generosis oleis, amurca, ex Columellæ consilio, infundenda est. Nam per hyemem si vermes atque alia suberunt animalcula, hoc medicamento necabūtur. Quod ex græca Quintiliorum agricultura, vt pleraq;

Diligenter muniēda esse olivueta cō tra capras.

Quomodo cessans olea fœcūda fiat.

Methodus ad vnguem expressa.

Amurca oleis valde medicamentosa et vtilis.

 alia,

alia, sibi ascripsisse mihi videtur Columella: in quibus notatum reperio generosiores ac lætiores euadere oleas, fructúmque plurimum afferre, si circum ablaqueatas illarum radices, insulsa amurca aquæ remista affundatur, vtriusque sextarius vnus. Paleas quoque fabaceas sufficiet iniecisse, plus minus pro arboris modulo. Vrinæ etiam humanæ quantum fuerit visum instillari poterit, aut argilla bubulo stercori permista, algáve aut marinus fucus. Sed confestim terra circum est exagger anda dodrantali altitudine: sinu prius in orbem fornicato, vt imbres pluuij retineãtur. Qui cum se insinuarint, breuissimis ac frequentissimis fossionibus sunt solicitandi. Quod auxilium per torrida Caniculæ incẽdia adhibendum censent. Sed præstabilius esse putant multi, rigatione vti, præsertim si validi squaliores incesserint. Cæterũ, quia tam in siccis quàm humidis locis oliuariæ arbores musco plerunque onerantur, & adeò infestantur, vt nec fructum, nec lætam frondem producant, ferramento leniter deradetur, vt emergentes oleæ vberius alantur, & fœlicius procedant. Soli vitio fructum negare, vel (vt quidam volunt) necare, si perrexerint, docente Columella, sic mederi solemus. Altis gyris arbores ablaqueamus: deinde pro magnitudine cuiusque, calcis quantum licet circundamus, ita vt minima arbor modicum, maxima verò plurimum excipiat. Hoc remedio si nihil fuerit effectum, ad insitionis præsidium confugimus. Sterilem oleam Quintilij agriculturæ peritiss. hac ratione fœcundam fieri posse tradũt. Caudici ab radice spatiolo cubitali, ea maximè parte qua austrum spectat, terebra foramen vtrinque imprimito

Notãda pro olearum irrigatione.

Oleas ab infestante musco liberandas.

Remedium ad oleã quæ soli vitio nullum profert fructũ.

Quomodo sterilis olea fœcũda fiat.

mito digiti maioris amplitudine: quo facto duos frugiferæ oleæ ramulos ab australi parte sublatos, crassitie qua foraminis hiatum possit explere, strictè in illud conijcito: distractísque vehementer cacuminibus, eminentes ac extantes vndiq; particulas scindito, & paleato luto foramina obducito. Hoc veluti coitu sterilem arborem fœcundabis. Quod præceptũ cum Africani consilio paulo antè proposito, planè consentire mihi videtur. Porrò, quæ nimia foliorum & ramorum petulantia syluescunt, & absque vlla fruge luxuriãt, Græcis hylomanes nuncupatę, hoc est, insanæ (quòd folia quidem ferãt multa, fructum verò paucum, vel nullum) coërceri poterunt ex Quintilliorum obseruatione, & præcepto, si in radicis foramen quod terebra excauauit, viridem oleastri taleam, aut pini, vel quercus paxillum, lapidémve immiseris. Quintillijs ea in re suum addit calculum Columella. Solent, inquit, quantumuis lætæ arbores fructum quandoque non adferre, eas terebrari Gallica terebra conuenit, atq; ita in foramen, oleastri viridem taleam demitti: sic arbor fœcundo semine fertilior euadet. Potest eadem sine ablaqueatione adiuuari amurca insulsa, cũ suilla, vel nostra veteri vrina. Cuius vtriusque modus seruatur: nam maximæ arbori, ni tantundẽ aquæ misceatur, vrna abundè erit. hactenus Columella de sterili olea fœcũdãda. Quæ si fructum multum præseferet, quem ad maturitatem non perducat: volo dicere, si florem multum induat, & perperã illum exuat, nec sinat in baccas efformari & adolescere, facilè medeberis si ablaqueata arbore, algæ seu marinæ fucci corbes duos ad radices obduxeris, si maior fue

Remedium pro oleis folia, & non fructum ferentibus.

Remedium in rem aliud, & paratu facilius.

Quomodo olea probè florescens, sed nihil gignens emendetur.

rit olea: si minor, vnũ. Quòd si algæ, vel fuci copia negetur, solius amurcæ vsu contentus eris, aqua potabili permistę: ita vt singulis trũcis iuxta radices congios quatuor affundas, plùs, minùs, pro arborei corporis ratione. Nonnunquam in olea ramus vnus cæteris aliquantò lætior esse solet: quem nisi recideris, tota arbor cõtristabitur.

Quomodo curetur olea veluti moribunda elanguescens.

Solent & radices velut morbo languentes plerunque arescere, arborémque ipsam facie veluti moribunda, videndam exhibere: quod soboli vermium interno sinu delitescentium acceptum ferre licet. Quos multis modis disperdẽdos, cùm hoc libro passim, tum primò fusissimè ostendimus. Si efformatæ olearum baccæ defluant, summum adhibebitur præsidium, vt in suis Georgicis testatur Democritus, si faba quæ vermiculũ, aut pediculum cõtinet, obstructa cera foramine, in gleba radicibus hærente condatur, & ita obruatur.

Remedium ne olearum baccæ defluant.

Hîc silentio nequaquam inuoluendum arbitror, quod de vite & olea Africanus Græcus Florentini testimonio fretus, in suorum Georgicôn libris, memoriæ posteritatis mandauit: Si olea, inquit, viti inseratur, nõ vuas modò, sed & oliuas quoque proferet: cui perticæ subijciundæ sunt, vt brachiorum onus fulciãt. Fit autem hoc artificio. Prope terram vitem terebramus, & fœcundæ oleæ ramulum foramini imponimus: vt à vite dulcedinem, & ab humo vernaculum nutrimẽtum sugat & alliciat. Vbi adoleuerit: & fructum ferre nondũ assueuerit, si viticulæ eius sarmenta fructuaria trãsferantur, misturam progenitorum seruabunt, frutũmque producent, qui à promiscua parentum conditione nomen adoptabit dicetúrque Græcè elæostaphylos, Latinè

Quomodo viti inseratur olea, & qualis inde fructus emergat.

verò

verò vuolea, aut olevua. De arbore, eiúsque cura auxilijs & secretis hactenus. Cuius fructus, quem baccam vbique cum priscis nũcupauimus, oliua vulgo dici solet, carne constans & nucleo. Quam (immaturã præsertim) plerięʒ virescentibus prunis albis aqua salsa cõditis, dissimulare ac mentiri solent. Quæ impostura me, & alios multos, in celebri conuiuio hyemali, quãdoque cepit ac delusit. Oliuarum baccæ muria exceptæ, Græcis halmades nuncupantur: quæ verò oleo suo puræ, & sine accersita commendatione innatant, ac velut vrinabundæ fluitant, colymbades nuncupantur. Quod ad oleum attinet ex his conficiendum, hîc à me pauca admodũ expectabis: ne dicar instituti mei fines transilijsse. Itaque monuisse satis erit, tempus legendę & vindemiandæ oleę accommodum esse, quando maior pars dimidij fructus nigrescere apparuerit: queádmodum in suis Georgicis adnotauit Paxamus. Quę res, si minùs cœlũ aspirauerit, nõ semper erit expectanda. Vnde olearum vindemia quandoqʒ præuenienda est, ne à gelicidijs & frigoribus intercipiatur. Cæterùm, sereno die, & minime pluuio, ab oliuantibus aggredi debet: nec licet vel minutis imbrium guttulis labentibus ramos oliuarios mouere, aut decutere, donec humiditas omnis exhausta sit. Non desunt qui manibus sensim ac leniter ramos quatiant, vt ex ijs fructus excutiant. Sed diligenter cauendum erit ne virga oliuaria baccę deijciãtur, aut contingantur: nam hinc arbor minùs fœcunda in posterũ euadet: si vera sunt quæ scripsit Paxamus, inter Græcos geoponicos non postremus. Qui etiam admonet tantum oliuæ legẽdum esse, quantũ nocte veniente possis exprimere: ad-

Quomodo olearũ baccæ conditæ simulari possint.

Oleæ halmades & colymbades.

Quodnam tempus oleæ colligendæ aptum.

Serenitas vindemiandæ oleæ opportuna.

Summè notandum & aduertẽdũ.

hæc molam primo oleo leniter suspendi debere, ne ossibus defractis sordescat. De omnibus nobilius esse solet, quod sponte defluxit: virgineũ vocant multi. Nouo ac recenti sal & nitrum misceri debent, vt illius spissitudinem absoluant, & à labe vindicent, si quidem durare debebit: exactis diebus 30. (vbi amurca subsederit) in vitrea vasa transferendũ est, aut alia opportuna, vt mox dicemus. De secundo similis erit disciplina: nisi ꝙ mola fortiore quassari debebũt oleæ. His vtcunque expeditis, ad ipsius olei custodiam et auxilia calamum conuerto: quãdo nobis in vsu cùm cibario, tum medico frequens esse solet. Apuleius græcæ agriculturę professor eximius, tradit oleũ vitreis vasis tutissimè conseruari, quòd frigore summè oblectetur. Si tamen vitrea defuerint repositoria, terreis doliolis optimè custodietur: aut alijs cribrato gypso intus perlitis, omniũ verò præstantissimè plũbeatis aut vitreatis: vel perfectè excoctis terreis, qualia sunt Bellouacorum fictilia, quorum vsus apud nos frequens esse solet. Verumenimuerò præsens locus admonet vt de olearia cella pau cis agam: quæ ad eam cœli regionem constituenda est, quę à calidis ventis maximè auersa fuerit. Quare, vt septentrionem spectet summè expedit: nam siccum & frigidum locum diligit oleum, calores & humores tanquam inimicos perniciali odio habẽs. Fumo valde infestatur: quapropter olearij doctores in totũ præcipiunt, vt neque fumus, neque fuligo, quandiu oleum conficitur, in torcular aut cellã oleariam irrumpat, admittatúrve: imò ne lucerna quidẽ. Oleũ quod gelatur, plerunq; fracescit: præsidium est salem vel nitrum opponere. Rancidum Tarentinus

Quid virgineũ oleum.

Oleũ secundarium.

Quibus vasis optimè seruetur oleum.

De loco & situ oleariæ cellæ.

Fumum oleo esse infestũ.

tinus sic posse curari asserit, & post illum Palladius. Albam ceram mundo & optimo oleo resolutã, & adhuc coctura cum eo liquentem, in oleũ profundere oportet, deinde calentes sales defrictos addere: ita oleum sapore, & odore mutato, optimè purgabitur. Si verò misturam eam anticipaueris inijcere, nunquã rancescet. Medetur & rancori anisum oleo demersum. Si fæculentum fuerit & impurum, purificabitur Sole, vel igne, vel aqua feruenti, si in illam vase minimè fragili imponatur. Si sordet, sic purũ facies ex eiusdem Tarentini consilio. Salem ad ignem frige, & dum adhuc calet in oleum demitte, ac diligenter receptaculum operi. Idem præstabit pinea nux, modò candens oleo restinguatur. Emundabit & citri radix in oleum demersa, adhęc fex olei torrefacta, & immissa, nam ita lympidius euadet. Si fuerit fœtidum, et odoris horrendi, præcipit idẽ autor virides oleas sine ossibus tundi, & in vasa olearia sub solis calore demitti. Si baccę oliuariæ defuerint, teneris oleæ cauliculis tusis idem efficies. Nonnulli vtraque linteolo clausa, remisso sale tuso, in vas olearium demergunt, & exacto triduo adimunt, oleũ agitantes ac commouẽtes, quod vbi conquieuerit, in aliud conceptaculum transfusant. Sunt qui vetustos lateres ignitos in illud extinguant. Plerię hordeaceos panes minutim friatos, & raro linteolo obuolutos immittunt, quod vbi secũdò & tertiò repetiuerint, nouos permutando & inijciendo, salis miculas & granula indunt, & in alia vasa trãslatum paucos dies subsidere patiuntur. Alij sertulã campanam, seu meliloton oleo delibutũ, per diem noctemq; infundunt. Si aliquod animal in oleum fortè inciderit,

Rancidi olei curatio ac saporis & odoris restitutio.

Fæculenti olei expurgatio.

Sordidi olei purificatio.

Remedium fœtidi olei, & odoris mali.

Varij modi curationis, fœtidi olei.

Vitiati olei & putris remedium.

ciderit, & putri nidore illud vitiauerit, iubet Democritus in suis Georgicis, coriandri manualem fasciculum in oleario vase suspẽdi, atque ita paucis diebus permanere. Si hinc de nidore nihil decesserit, mutandum erit coriandrũ, donec vitium superetur. Sed maximè proderit, serenis diebus in vasa munda decapulare, quæ optima erunt, si priùs acetum continuerint. Quidem semen fœni græci, aut coriandri siccum, tritúmque oleo remiscent, vel incensos oleagineos carbones in illo frequenter extinguunt. Non desunt qui vuas passas, vinaceis exemptis, tritas & in offas aut pastillos redactas, oleo mersent, & elapsis decem diebus detractas exprimant, agitatúmque oleum in aliud vas transfundant. Alij vtrunque, hoc est vuas & vinacea, simul tradunt, ac in oleum mittunt.

Sylua remediorum pro curandis oleis vitiatis.

Olei turbidi curatio.

Si turbidum fuerit, Tarentinus suadet illud in fidelia oris ampli feruescere, & vbi ebullierit, tenuissimum salem frictum ac torrefactum inspergere, atque vbi substiterit, aliò transfundere.

Vt oleũ fiat pellucidum.

Pellucidum facies si corticem & ramulos oleagineos cum sale detritos, & linteolo conclusos in vase oleario suspendas.

Quomodo comparetur oleum odoratum.

Odoratum sic compones Oleo recenti primo, sincero, & ab omni amurcæ spurcitia immuni (quod antea virgineum nuncupari diximus) inulam herbam siccam, lauri folia, cyperum, radicẽ iridis, & alia quæ voles odorata in pollinem tenuissimum trita & excreta in oleum vitreo vase receptum inijce, & diu multúmque agita: deinde salem torrefactum & in farinam detritũ immitte, ac rursum agita, diebúsque xv. plus minus, vas ipsum cum oleo Soli expone, aut in duplici vase calidam aquam excipiẽte merge: sed ita ne quid expiret, vel diffugiat: tãtisper-

tiſperque ibi eſſe permitte, donec horas treis lento igni ebullierit, exemptum patere ſpatio quodam conquieſcere, vſquedum concorporari, & in vnum coire perceperis. Dein percolato, & in tuum vſum loco ac vaſculo idoneo optimè ſeruato, & diligenter proſpicito, ne qua illabatur aura.

HACTENVS ſcribendo & meditando fatigatus hiſce Hortorum & hortenſium rebus colophonem ſum impoſiturus, & ab ijs qui legent, & fructum cum voluptate aliquem inde ſibi comparabunt, ſollicitè poſtulaturus, vt ſuis apud Deum precibus conatus noſtros adiutare dignentur: vt quæ præ manibus habemus alia quamplurima, & quotidie pro noſtræ Mineruæ modulo, diſcendi cupidis meditamur, lucem optatam aliquando videre poſſint.

FINIS TRIVM LIBRORVM DE cultu, cura, auxilijs & ſecretis Hortorum, Autore ANTONIO MIZALDO, Medico & Mathematico Lutetiæ.

1 5 7 4.

DE HORTENSIVM ARBORVM INSITIONE Opusculum.

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS MEDICI, STVDIO ET DILIgentia ex varijs Autoribus Græcis & Latinis accuratè congestum.

PRAEFATIVNCVLA.

PROPOSITIS publicæ vtilitati Auxilijs, cura, & secretis Hortorũ, precium operæ nunc demùm facturum me cogitaui, si libellum De arborum insitione comitem illis darem, vt nostra Hortensium historia suis vndique partibus absoluta foras prodeat. Vt itaque à verbis ad rem transeam: Arbores quæ hominum cura & arte prouenire solent, vel semine emergunt, vel radicum plantulis, vel propagine, vel auulsione, vel surculo, vel insitione. Relictis primis & medijs, ceu notissimis, postremum longè ac latè, si diuina fauerint, ex priscis & recentioribus rerum agri professoribus Græcis & Latinis explicare satagam, vt fœcundissimam illam pulcherrimorum fœtuum arboreorum matrem insitionem, meritis honoribus exornem, & omnibus suis numeris, pro mea tenuitate, illustrem.

De

De insitione quæ fit sub cortice, & in trunco, ex Græcis Florentini Georgicis.

CAP. I.

FLorentinus inter Græcos rerum agri docto-res priscos clarus, tria inserendi genera esse tradit. Vnum sub cortice, alterum in trunco, & tertium quod emplastro fit, seu inoculatione. Omisso vltimo, sic primum & secundum perse-quitur. Arbores quæ densiore libro & cortice ve-stiuntur, & ex terra copiosum humorem sugunt, quales esse noscuntur ficus, olea, cerasus, & simi-les, sub cortice inseri desiderant. Sed ante cuneus tenuis valido ligno coustructus (quo facilius im-primatur) inter corticem & lignum paulatim adi gi debet, tam diligenti & accurato manus libra-mento, ne corticis fascia disrumpatur, quo leni-ter subducto, surculus mergitur, & blandè impo-nitur. Hanc inserendi rationem emphyllismon & infoliationem appellant. Quæ autem cortice tenui cinguntur arbores, suntque pauciori humo re contentæ, & foris exuccę (quòd humor relicto cortice in medullam interiorē se recipiat) qualis esse solet citrea malus, & arbores aliæ complures fisso ligni medio, surculi insiguntur, quem modū propriè Insitionem vocant, & Encentrismon. In vtroque genere confestim inserendum surculum præcipiunt, & compendiariam insitionē facien-dam, ne diuturniore mora natiuus humor ex-hauriatur, & surculus reficcetur. Porrò, qui inse-runtur surculi, nitidi esse debent, & ex fertili ar-bore selecti, ab ea parte quæ Aquilonem spectat: adhæc acutis falcibus decisi, de nouo nati, leues, frequentibus gemmis prægnantes, bifurci, vel tri

furci,

furci, ab imo crure simplices, crassitudine digiti minoris, & bimi, nam anniculorum saliua sursũ recurrens auocatur, ex quo infructuosi fiunt. Falcis mucrone ab vna parte instar scriptorij calami salua medulla scinduntur, sic vt lignum ligno, & cortex cortici possit committi & adhęrere. Surculi derasum acumen, cum fissura & hiatu in quẽ debet imponi, æquali constabit magnitudine: ita vt exacutio & fissura stylum excipiens, binos digitos non excedant, quibus iustè coëuntibus nihil adimendum volunt. Argilla duntaxat vulnus muniendum erit, propterea quòd flaua terra cauliculos exurat, & ob id inepta sit. Surculos finiente Luna, vel silente, decem aut paulò plures dies ante insitionem accipiendos iubent, & operto vase ita muniendos, ne qua expiret aura, quos oportebit, dum eliguntur, adhuc occlusos non dehiscere, insitóque ad germinationem properare, quare decem antè diebus, aut pluſculis, vt diximus, qui insitioni destinabuntur, vellendi erunt. Sed edocenda est ratio cur statim eruti non sint inserendi, quippe si feruens adhuc, turgénsque surculus in capacem & destinatam rimam immittatur necessum est quippiam eius emarcescere, antequã in vnũ coalescat corpus, fungosámque laxitatem inter lignum excipiẽs, & hospitem surculũ intercedere: aut, si mauis, laxationem fieri inter immissum & suscipiens lignum, in cuius rimas hiantes subiens aër, prorsus in vnitatem coire non patitur. Quòd si dies aliquot vase prius includantur, facesset omnis iniuriæ suspicio, neque vinculorũ laxans mollities infestabit, neque inspirãs aër officiet, sed breui tempore comprehendent. Surculi aquilonio flatu ruẽte non sunt inserendi, quin potius

potius Austro spirante: quoniam vt imber insitionibus in trunco prodest, ita his quæ sub cortice fiunt nocet. In trunco ad æquinoctium vsque Autumni optimè fieri potest. In cortice vsq; ad Brumam, & post Fauonij flatus) qui septima Februarij die spirare incipiunt) vsque ad solstitium. Sunt qui insitionem optimam in trunco prædicēt post Canis ortum, rursúmque æstate post extinctos Caniculæ feruores. Si surculi à longinquis tractibus deferantur, infixi luto, vase diligēter oblito, ne ventum sentiant optimè asportantur. Hactenus Florentinus in suis Georgicis. Sed in his omnibus distingue loca & tempora.

De insitione quæ fit per inoculationem, seu emplastrationem, ex Græcis Didymi Georgicis. CAPVT II.

Didymus inoculationem, quæ enophthalmismus dici solet, ante solstitium æstiuum opportunè fieri tradit, quamuis circiter vernum æquinoctium, cùm germinatione turgent arbores, & gemmis grauidæ gestiunt, die tranquillo, & silente cœlo à se commodè auspicatam fuisse memorat. Verùm, quæ inoculatur arbor, nodis & agnascenti sobole, comáque debet purgari, relictis vberioribus, nitidioribúsque surculis qui huic insitioni destinantur. Fœcundæ arboris ex anniculo germine immaculatum & selectum oculum, seu gemmam, asciscere conuenit: & circunraso acie scalpri diligenter cortice, eum caudici in alterius vestigiū imprimere. Purum autem corticem, erugatum, nec vlla sui parte cicatricosum

secare exacte decet, ac lignum integrũ & inuiolatũ seruari: hoc enim perquã necessariũ habetur. Fœliciter cedit, si recepta hoc hospitio gẽma, in alterius sedem incidat: nam ita dubio procul comprehẽdit. Citra quoque gemmam vel oculum in pullulatione, altera caudicis parte insitionẽ moliri nihil vetat. Cæterùm cortices crassitudine pares esse debent: & vbi coaluerunt, amputãdum quod supra compagem prominet, ne eo loci feratur alimentum, & à coalitu succus auocetur. Dum surculi tria mõstrabunt folia, vincula sunt resoluenda. Ego verò, inquit Didymus, sæpenumero non ipsum oculum ex anniculo germine acceptum, per seipsum inseui, sed relicto oculo in germine illæso, à tergo gemmæ corticem delibraui: & lignum instar scriptorij calami scalpẽs, cum ligno quod remansit, in vestigium vel lacunam impressi, generosiorésque arbores mihi comparaui. Porrò, si sinistræ ramorum partes inoculationem susceperint, suos partus cum fœnore liberaliter refundent. Hactenus Didymus in suis Georgicæ disciplinæ Institutionibus græcis, ex quibus hæc accepta & translata sunt. Sed in his semper tibi habenda erit ratio tui cœli, soli, & consuetudinis. Quod pro reliquis scriptũ puta.

Particularia de Insitione ex Diophane Græco rerum agri interprete.
Cap. III.

Ficus moro & Platano rectè inseritur: Morus castaneæ, fago, malo, pyro syluestri, terebintho, vlmo & albæ populo: quo coniugio candida nascuntur mora. Pyrus inseritur punicæ malo, cotoneæ, moro amygdalo & terebintho. Si pyri sur-

ri surculi moro figantur, rubra creabũt pyra. Malus inseritur omni pyrastri generi: eadẽ cotonei fœcundata coitu, poma dabit, quæ Græci melimela nominant: similiter & pruno sociatur: sed inito platani consortio, rubra mala proueniunt. Nux in arbutum solam inseri voluit, cæterarum ferè societatem horrens. Punica salici inseruntur Laurus malo, Persica damasceno & amygdalo. Damascena syluestri pyro cuiuscunq; generis: adhæc cotoneę, & malo. Castanea varijs arborũ adulterijs gaudet, vt fagi & roboris. Cerasus nec pfici nec terebinthi respuit hospitiũ: nec contrà, cerasi terebinthus & persicus. Cotonea oxyacathæ consortiũ nõ aspernatur. Myrtus salici inseritur, Præcocium damasceno & amygdalo. Citria malus cùm tenui libro vestiatur, vix subtercutẽ recipit aduenã surculo: quin potiùs in nutritio parẽtis sinu alitur: post coalitũ emarcescit. Loquor autẽ de fructu, inquit Diophanes, qui vbi arbor comprehenderit, citromalũ appellatur. Si tamen quis citrium moro inseuerit, rubra feret poma. Cotonea & caprificus, arboris cuiusque consortium ineunt, nec vlli surculo denegant hospitiũ. Citriam malum in punicæ trunco fixam ali, Didymus in Georgicis scriptũ reliquit. Florentinus insitã ceraso vitem vuas vere promittit ferre: eãdemq; oleæ impactam fructũ promere, qui de vtriusque parentis adoptione, elæostaphylus dicitur. Odorata pyra, myrapia nuncupata, quam optimè in malis comprehendunt. quod vnum, inquit Diophanes, experientia magistra didici. Hactenus Greci rerũ agri interpretes de insitione. Venio ad Latinos qui de ea post illos scripserunt vt sua vnumquemque tulit ætas & ordo.

De arborum generatione & insitione ex lib. 2. Georgicon Virgilij. Cap. IIII.

Principiò arboribus varia est natura creãdis
Namq; aliæ nullis hominũ cogentibus, ipsæ
Sponte sua veniunt, campósque & flumina latè
Curua tenent: vt molle siler, lentæq; genistæ,
Populus & glauca canentia fronde salicta.
Pars autem posito surgunt de semine, vt altæ
Castaneę, nemorumq; Ioui quæ maxima frondet
Esculus, atque habitæ Graijs oracula quercus.
Pullulat ab radice altis densissima sylua
Vt cerasis, vlmisq;: etiam Parnassia laurus
Parua sub ingenti matris se subijcit vmbra.
Hos natura modos primũ dedit: his genus omne
Syluarũ, fruticúmq; viret, nemorúmque sacrorũ.
Sunt alij quos ipse via sibi repperit vsus:
Hic plantas tenero abscindens de corpore matrũ
Deposuit sulcis: hic stirpes obruit aruo,
Quadrifidásq; sudes, & acuto robore vallos.
Syluarúmque aliæ pressos propaginis arcus
Expectant, & viua sua plantaria terra.
Nil radicis egent aliæ, summúmque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
Quin & caudicibus sectis (mirabile dictu)
Traditur è sicco radix oleagina ligno.
Et sæpè alterius ramos impunè videmus
Vertere in alterius: mutatámque insita mala
Ferre pyrum: & prunis lapidosa rubescere corna
Quare agite, ô proprios generatim discite cultus
Agricolæ, fructósque feros mollite colendo.

Deinde subdit,

Sponte sua quæ se tollunt in luminis auras,
Infœcunda quidem, sed læta & fortia surgunt:

Quippe

Quippe solo natura subest: tamē hęc quoq; si quis
Inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis,
Exuerint syluestrem animum, cultúsq; frequenti
In quascūque voces arteis, haud tarda sequētur.
Necnon & sterilis quę stirpibus exit ab imis
Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros.
Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Crescentíq; adimunt fœtus, vrúntque ferentem.
Iam quæ seminibus iactis se sustulit arbos
Tarda venit, seris factura nepotibus vmbram:
Pomáque degenerant succos oblita priores:
Et turpes auibus prædam fert vua racemos:
Scilicet omnibus est labor impēdēdus, & omneis
Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domādæ,
Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Respondent: solido Paphiæ de robore myrtus:
Plantis & duræ coryli nascuntur, & ingens
Fraxinus, Herculeæq; arbos vmbrosa coronæ,
Chaonijque patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, & casus abies visura marinos.
Inseritur verò ex fœtu nucis arbutus horrida.
Et steriles platani malos gessere valenteis:
Castaneæ fagos: ornúsque incanuit albo
Flore pyri: glandemque sues fregere sub vlmis.
Nec modus inserere, atq; oculos imponere simplex
Nam quæ se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas: angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, vdóque docent inolescere libro.
Aut rursum enodes trunci resecantur, & altè
Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces
Plantę immittuntur: nec longū tempus, & ingēs
Exijt ad cœlum ramis fœlicibus arbos:
Miratúrque nouas frondeis, & non sua poma.

Hactenus diuinus poëta Virgilius de arborũ diuisione, in eas quæ natura gignuntur, & quæ artificio. Priorẽ modum perspicuè explicat: posteriorem, obscurè. Nos ex Plinio vtrũque paulò pòst facilem ac familiarem tibi reddemus. Postremò insitionem exemplis aliquot persequitur & illustrat, cum duabus eius sororibus quæ insolatio seu emphyllismus, & emplastratio vel inoculatio seu enophthalmismus tam Latinis quàm Græcis agricolis dici solent, & cortice nituntur. Sed hîc Virgilij interpretem non agimus. Pergo itaque ad reliquos qui de insitione plenius ac clarius post Virgilium scripserunt.

De insitione ex Iunio Columella. CAP. V.

OMnis surculus omni arbori inseri potest, si nõ est ei, cui inseritur, cortice dissimilis. Si verò etiam similem fructum, & eodem tempore adfert, sine scrupulo egregiè inseritur. Tria genera porrò insitionum antiqui tradiderũt. Vnũ, quo resecta & fissa arbor, resectos surculos accipit. Alterũ, quo resecta inter librum & materiam, semina admittit, quæ vtraque genera verni temporis sunt. Tertium, quo ipsas gemmas cum exiguo cortice, in partem sui delibratã recipit: agricolæ emplastrationem vocant: vel, vt quidam, inoculationem: hoc genus insitionis æstiuo tempore optimè vsurpatur: quarum insitionum rationem cùm tradiderimus, à nobis quoque repertam aliam docebimus. Omnes arbores simul atq; gemmas agere cœperint, Luna crescente inserito: oliuam autem circa æquinoctium vernũ, vsque in

in idus Aprilis. Ex qua arbore inserere voles, & surculos ad insitionem sumpturus es, videto vt sit tenera & ferax, nodisq; crebris: & cùm primũ germina tumebunt, de ramulis anniculis, qui Solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito, crassitudine digiti minimi: surculi sint bifurci vel trifurci. Arborem quam inserere voles, ferra diligẽter exsecato, ea parte qua maximè nitida & sine cicatrice est: dabísque operam ne librum lædas. Cùm deinde truncum recideris, acuto ferramento plagam leuato: mox cuneum tenuem ferreum vel osseum, inter corticem & materiam nec minùs digitos tres, sed considerate demittito, ne lędas aut rumpas corticem. Posteà surculos quos inserere voles, falce acuta ex vna parte deradito tantum, quantum spatij cuneus demissus dabit: atque ita ne medullas, néue alterius partis corticem lædas. Vbi surculos paratos habueris, cuneũ vellito, statímque surculos in ea foramina, quæ cuneo adacto inter corticem & materiam feceris demittito. Ea autem fine qua adraseris, surculos sic inserito, vt semipede nec amplius de arbore extent: deinde muscum supra imponito: & ita ligato ne pluuia dilabatur. Quosdam tamen magis delectat in trunco arboris locũ seminibus ferra facere, insectasq; parteis tenui scalpello leuare, atque ita surculos aptare. In vna arbore duos aut tres ramulos figito, dum ne minus quaternũ digitorũ inter eos sit spatiũ. Pro arboris magnitudine, & corticis bonitate hæc facito. Cùm omnes surculos quos arbor patietur demiseris, libro vlmi, vel vimine arborẽ astrigito: posteà paleato luto bene subacto oblinito totam plagã & spatiũ quod est inter surculos, vsque eò vt duobus di-

gitis insita extent. Supra locũ muscũ imponito, & ita alligato ne pluuia dilabatur. Si pusillam arborem inserere voles, imam abscindito, ita vt sesquipede è terra extet: & cùm deinde praecideris, plagam diligẽter leuato, & mediũ trũcum acuto scalpello permodicè findito: ita vt fissura digitorũ trium fit in ea: posteà cuneum, quo diducatur, inserito: & surculos ex vtraque parte derasos demittito: sic vt librũ seminis, libro arboris aequalẽ facias. Cùm surculos diligenter aptaueris, cuneũ eximito, & arborẽ, vt suprà dixi, alligato: deinde terram circa arborẽ adaggerato, vsque ad ipsum insitum: ea res à vẽto & calore maximè tuebitur. Hoc tertium genus insitionis cũ sit subtilissimũ, non omni generi arborũ idoneum est: sed ferè recipiunt talẽ insitionem quae humidũ, succosumq; & validũ librum habẽt, sicut ficus. Nam & lactis plurimum mittit, & corticem robustum habet: optimè itaque ea inseritur tali ratione. Ex qua arbore inserere voles, in ea nouellos & nitidos ramos eligito, in iisdemq; obseruato gemmam quae bene apparebit, certámq; spem germinis habebit: eam duobus digitis quadratis circũsignato, vt gẽma media sit: & ita acuto scalpello circuncidito, delibratóque diligenter ne gẽmam laedas. Posteà item alterius arboris quã emplastraturus es, nitidissimum ramum eligito, & eiusdem spatij corticem circuncidito, & materiam delibrato: deinde in eam partẽ quam nudaueris, praeparatum emplastrum, seu gemmam, aptato: ita vt alteri delibratae parti conueniat. Vbi ita haec feceris, circà, gemmam bene alligato, cauetóque ne laedas ipsum germen: mox commissuras & vincula luto oblinito, spatio relicto, vt gemma libera vinculo

culo nõ vrgeatur & liberè germinet. Arboris autem insitæ sobolem et ramos superiores præcidito: nequid sit quò possit succus euocari, aut ne cui magis quã insito seruiat: post 21. diem soluito emplastrum: & hoc genere etiã optimè inseritur olea. Quartum illud genus insitionis iam docuimus cùm de vitibus disputauimus: itaque superuacuum est hoc loco repetere traditã rationem terebrationis. Sed cùm antiqui negauerint posse omne genus surculorũ in omnem arborẽ inseri, et illã quasi finitionem qua nos paulò ante vsi sumus, veluti quandam quasi legem sanxerint, eos tantùm surculos posse coalescere qui sint cortice ac libro & fructu cõsimiles ijs arboribus quibus inseruntur, existimauimus errorem huius opinionis discutiendum, tradendamq́ posteris rationem qua possit omne genus surculi omni generi arboris inseri. Quod ne longiore exordio legentem fatigemus, vnum quasi exemplum subijciemus, quo possit omne genus surculi, omnibus arboribus inseri. Scrobẽ quoquouersus pedum quatuor ab arbore oliuæ tam lõgè fodito, vt extremi rami oleæ possint eam contingere, in scrobem deinde fici arbusculam deponito, diligentiámque adhibeto vt robusta & nitida fiat. Post triennium aut quinquẽnium, cùm iam satis amplum incremẽtum ceperit, ramum oliuæ, qui videbitur nitidissimus, deflecte, & ad crus arboris ficulneæ religa: atq; ita amputatis cæteris ramulis, ea tantùm cacumina quæ inserere voles, relinquito: tum arborem fici detruncato, plagámque leuato, & mediam cuneo findito: cacumina deinde oliuæ ficut matri cohærent, ex vtraque parte abradito, & ita fissuræ fici aptato, cuneúmque

 eximi-

eximito, & diligenter ramulos colligato, ne qua vi reuellantur. Sic interpofito triennio coalefcet ficus cũ olea, et tum demũ quarto anno cùm bene coierint, velut propagines, ramulos oliuæ à matre refecabis. Hoc modo omne genus in omnem arborem inferitur. Hactenus Columella rerum agri interpres æquè facundus ac diligens.

De infitione, ex Plinio. CAP. VII.

SEmine inferere natura docuit raptim auium fame deuorato, folidóque, & alui tepore madido, cũ fœcundo ftercoris medicamine in mollibus arborũ lecticis abiecto, & vẽtis fæpè tranflato in aliquas corticum rimas. Vnde vidimus enatam cerafum in falice, platanum in lauro, laurum in cerafo, & baccas fimul difcolores. Tradũt & monedulam femina in cauernarum thefauros condentem, eius rei præbuiffe caufas. Hinc nata inoculatio futoriæ fimili fiftula aperiendi in arbore oculum cortice excifo, femenq; includendi eadem fiftula fublatum ex alia. In ficis autem & malis hæc fuit inoculatio antiqua. Virgiliana quærit finum in nodo gemmæ expulfi corticis, gemmamq; ex alia arbore includit, & hactenus natura ipfa docuit. Infitionem autem cafus magifter alius, & penè numerofior, ad hũc modum expofuit. Agricola fedulus cafam fepis munimento cingens, quò minùs putrefcerent fudes, limen ex hædera fubdidit, at illæ viuaci morfu apprehenfæ, fuam ex alieno fecêre vitam, apparuitque truncũ effe pro terra. Aufertur ergo ferra æqualiter fuperficies, læuigatur falce truncus. Ratio poftea duplex. Prima inter corticẽ & lignum inferen-

ſerendi, timebant enim priſci truncum ſindere, mox inforare auſi medio, ipſiqúe medullæ calamum imprimebant, vnum inſerentes, neq; enim plures capiebat medulla. Subtilior poſteà ratio vel ſenos adiecit, mortalitati eorum & numero ſuccurrere perſuaſa, trunco per media leniter fiſſo, cuneóque tenui fiſſuram cuſtodiente, donec cuſpidatim deciſus deſcēdat in rimam calamus. Multa in hoc ſeruanda. Primùm omnium quænam arbor patiatur coitum talem, & cuius arboris calamus. Variè quoque, & non iiſdem in partibus ſuccus omnibus ſubeſt. Vitibus, ficiſq; media ſicciora, & è ſumma parte conceptus, ideo illinc ſurculi petuntur. Olei circa medias ſuccus, inde & ſurculi, cacumina ſitiunt. Facillimè coaleſcunt quibus eadem corticis natura, quæq; pariter florētia eiuſdem horæ germinationem, ſuccorúmque ſocietatem habent. Reliqua obſeruatio ne fiſſura in nodo fiat (repudiat quippe aduenā inhoſpitalis duritia) vt in parte nitidiſsima, ne longior multò tribus digitis, ne obliqua, ne tranſlucens. Virgilius ex cacumine inſeri vetat, certumq; eſt ab humeris arborum orientem æſtiuum ſpectantibus ſurculos petendos, & è feracibus, & è germine nouello, niſi vetuſtæ arbori inſerantur, ij enim robuſtiores eſſe debent. Præterea vt prægnantes, hoc eſt gemmatione turgentes, et qui parere illo ſperauerint anno. Bimi vtrique nec tenuiores digito medio. Inſeruntur autē & inuerſi, cùm id agitur vt minor altitudo in latitudinem ſe fundat. Ante omnia gemmantes nitere cōueniet, nihil vſquam vlceroſum eſſe, cicatricoſum aut retorridum: ſpei fauet medulla calami commiſſuræ, ſi in matre ligni, corticiſq; iungatur,

.gatur,

gatur, id enim satiùs quâm foris cortici æquari. Calami exacutio medullam ne nudet tenui tamē fistula detegat, vt fastigiatio læui descēdat cuneo tribus non ampliore digitis, quod facillimè con tingit, tinctum aqua radētibus. Calamus ad corticem vsque suum deprimatur. Ne luxetur dum deprimitur, néve cortex replicetur in rugas. Ideò lacrymantes calamos inseri non oportet, non, herculè, magis quàm aridos, quia illo modo labat humore nimio cortex, hoc vitali defectu nō humescit, neq; concorporatur. Id etiam religionis seruant, vt Luna crescente calamus vtraq; deprimatur manu: alioquin in hoc opere duæ simul manus minus nituntur, necessario temperamento: validiùs enim demissi, tardiùs ferūt, fortiùs durant, cōtraria ex diuerso. Ne hiscat nimiū rima, laxéque capiat, aut ne parum, & exprimat, aut compressum necet. Hoc maximè præcauendum, vt prævalidè accipiētis trunco in media fissura relinquatur. Quidam vestigio fissuræ falce in truncis facto, salice præligant marginē ipsum, posteà cuneos figunt continente vinculo libertatem dehiscendi. Quædam in plantario insita, eodem die transferuntur. Si crassior truncus inseratur, inter corticē & lignum inseri meliùs est, cuneo optimè osseo, ne cortice rumpatur laxato. Cerasi libro dempto finduntur, hæ solæ & post brumam inseruntur: dempto libro habent veluti lanuginem, quæ si comprehendit insitum, putrefacit: incolumi cuneo adactum vtilissimè adstringitur. Inserere aptissimum quàm proximum terræ, si patiatur nodorum truncicq; ratio. Eminere calami sex digitorum longitudine non ampliùs debent. Cato argillæ, vel cretæ arenam, fimúm-

ſimúmque bubulum admiſceri, atq; ita vſque ad lentorem ſubigi iubet, idq; interponi & circunlini. Ex ijs quæ commentatus eſt, facilè apparet illa ætate inter lignum & corticem, nec alio modo inſerere ſolitos: aut vltra latitudinem duûm digitorum calamos demittere. Inſeri autem præcipit pyra ac mala per ver, & poſt ſolſtitium diebus L. poſt vindemiam. Oleas autem & ficos per ver tantùm, Luna ſitiente, hoc eſt ſicca. Præterea poſt meridiẽ, ac ſine vento Auſtro. Mirum quòd non contentus inſitum muniſſe, vt dictum eſt, & ceſpite ab imbre frigoribusq; protexiſſe, ac mollibus bifidorum viminum faſcibus, lingua bubula (herbæ id genus eſt) inſuper obtegi iubet, eamq; illigari opertam ſtramentis. Nunc abundè arbitrantur paleato luto libros farcire, duos digitos inſito extante. Verno inſerentes tempus vrget incitantibus ſe gemmis, præterquam in olea, cuius diutiſsimè oculi parturiũt, minimúmque ſucci habent ſub cortice, qui nimius inſitis nocet. Punicam verò & ficum, quanquam aliàs ſicca ſint, recraſtinare minimè vtile. Pyrum vel florentem inſerere licet, & in Maium quoque menſem protendere inſitionem. Quòd ſi longiùs afferantur pomorum calami, rapo infixos optimè cuſtodire ſuccum arbitrantur: ſeruari inter duos imbrices iuxta riuos, vel piſcinas, vtrinq; terra obſtructos. Emplaſtri ratio & ipſa ex inoculatione nata videri poteſt, craſſo autem maximè cortici conuenit, ſicut & ficis. Ergo amputatis omnibus ramis, ne ſuccum auocent, nitidiſsima in parte quaque præcipua cernatur hilaritas, exempta ſcutula (ita ne deſcendat vltra ferrum) cortici, imprimitur ex alia cortex par cũ ſui germinis

minis mamma, sic compage densata vt cicatrici locus non sit, & statim fiat, vnitas, nõ humorem, non afflatum recipiens, nihilominus tamẽ & luto munire, & vinculo melius. Hoc genus nõ pridem repertũ volũt qui nouis moribus fauẽt. Sed id etiam apud veteres Græcos inuenitur, & apud Catoné, qui oleam ficumq; sic inseri iussit, mensura etiã præfinita, secũdum reliquã diligentiam suam, cortices scalpro excidi quatuor digitorũ longitudine & triũ latitudine, atq; ita coagmentari, & illa sua intrita oblini eadem ratione & in malo. Quidã huic generi miscuêre fissurã in vitibus, exẽpta cortice tessella, surculo à latere plano adigendo. Tot modis insitam arborem vidimus iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustã, alio ramo nucibus, alio baccis, aliũde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus, sed huic breuis fuit vita. Nec tamẽ omnẽ experimentis assequi naturã possumus. Capacissima insitorum omnium dicitur platanus, posteà robur, verùm vtraq; sapores corrumpunt. Quædam omni genere inseruntur, vt ficus & punicæ. Vitis non recipit emplastra, nec quibus tenuis ac caducus, rimosusq; cortex, neq; inoculationem siccæ ac humoris exigui. Fertilissima omnium inoculatio, posteà emplastratio, sed vtraq; infirmissima. Quæ cortice nituntur tãtùm, vel leni aura ocyssimè deplantantur. Inserere firmissimum & fœcundius quàm serere. Hactenus Plinius.

De insitione, ex Palladio, maximè earum arborum quas libro tertio Horti nostri descripsimus. CAP. VII.

INcipiam quicquid veteres ſcripſere coloni,
Sacraq́ priſcorum verba labore ſequar.
Principiò multas ſpecies induſtria ſolers
Protulit, & doctam iuſsit inire manum.
Nam quęcunque virens alienis frondibus arbor
Comitur, his diſcit credita ferre modis.
Aut noua diſcreto figuntur germina libro,
Aut aliud ſummo robore fiſſa capit.
Aut virides oculos extremi gemma tumoris
Accipit, & lento ſtringitur vda ſinu.

DE MALO.

Inſita proceris pergit concreſcere ramis,
Et ſociam mutat malus amica pyrum.
Seq́ feros ſyluis hortatur linquere mores:
Et partu gaudet nobiliori frui.
Spiniferas prunos, armataq́ robora ſentes
Læuigat, & pulchris veſtit adulta comis.
Exiguam ſorbum dulci diſtendere ſucco
Nouit, & ad cupidas flectere poma manus.
Robora thyrſigero platani concordia Baccho,
Fœtibus inſtituit plena rubore nouis.
Illius inſolitas miratur perſicus vmbras,
Populeæq́ ferunt candida dona comæ.
Meſpilus huic paret, lapidoſaq́ viſcera mutans
Tenditur, & niueo plena liquore rubet.
Pro ſudibus fœtis, & pro prægnantibus armis
Caſtaneæ fuluum dant noua mala decus.

DE PYRO.

Germine cana Pyrus, niueos haud inuida flores
Commodat, & varium nectit amore nemus.
Nunc rapit hirſutis horrenda ſororibus arma,
Et docet indomitas ponere tela pyros.

Nunc

Nunc teretem pingui producit acumine malum:
Fraxineasq; nouo flectit honore manus.
Phyllida quinetiam grandi mitescere fructu
Instituens, duræ dat sua membra cuti.
Et steriles pinos, & inertem fœtibus ornum
Dotat, & ignotum cogit amare decus.
Huius & immissi vertêre cydonia rami,
Pomaq; confusus blanda creauit odor.
Castaneæ septos aspro velamine fœtus
Exuit, & placido pondere mutat onus.
Mespilaq; exarmat, pugnacibus horrida mẽbris,
Et mala tranquillo cortice vota premit.
Creditur in Libycis sua germina nectere ramis,
Lætaq; puniceo posse decore frui.

DE COTONEA.

Cùm præstet cunctis se fulua cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum aspernata superbit,
Scit tantùm nullo crescere posse decus.
Sed proprijs pandens cognata cubilia ramis
Stat, contenta suum nobilitare bonum.

DE PRVNO.

Pruna suis addunt fœlicia germina membris:
Donaq; cognato corpore læta ferunt.
Exarmat fœtus, sed brachia roboris armat
Castaneæ prunus iussa tenere larem.

DE CERASO.

Inseritur lauro Cerasus, partuq; coacto
Tingit adoptiuus virginis ora pudor.
Vmbrãtes platanos & iniquam robore prunum
Compellit gemmis pingere membra suis.

Popu-

Populeasq; nouo distinguit munere frondes:
Sic blandus spargit brachia cana rubor.

DE MORO.

Mutua quinetiam moris commercia ficus
Præstat, & oblatum robore germen alit.
Fraxinus huic auidæ cõfert sua membra sorori:
Et metuit fœtus sparsa cruore nouos.
Proceras fagos, & poma hirsuta virentis
Castaneæ, duris aspera mala comis
Inficiens, monstrat piceo nigrescere partu:
Et succo pascit turgida poma nouo.
Obsequitur moris blando terebinthus odore:
Et geminis veniunt munera mista bonis.

DE PERSICO.

Ipsa suos onerat meliori germine ramos
Persicus, & pruno scit sociare genus.
Imponitq; leues in stipite phyllidis vmbras,
Et tali discit fortior esse gradu.

DE MESPILO.

Aemula dura pyri despecti mala saporis
Mespilus admisso germine tuta subit.
Et geminis sese violentior inserit armis:
Atque auidas terrent robora sæua manus.

DE SORBO.

Sorba suos partus merito maioris honestant
Seminis, & pulchro curua labore nitent.
Hæc arbos spinæ duros mucronibus artus
Exuit, ac libris mitibus arma tegit.
Aureaq; annexo miscere cydonia fœtu
Gaudet, & externi dona coloris amat.

DE NVCE.

Arbuteas frondeis vastæ nucis occupat vmbra:
Pomaq; sub duplici cortice tuta refert.

DE AMYGDALO.

Phyllis odoratos primæuis floribus artus
Discissi pruni cortice fixa tegit.
Pomaq; permutat velamine persica musto:
Duritiemq; docet tegminis esse loco.
In modicam tornat siliqua tendente figuram:
Et frondes pulchro ditat odore feras.
Castaneamq; trucem depulsis cogit echinis
Mirari fructus læuia poma sui.

DE FICV.

Persuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus, & inuasis dat sua iura pomis.
Se quoque miratur pingui grandescere succo,
Et solitum gaudet vincere poma modum.
Insignes folijs platanos, fœlicia mensis
Brachia, gaudentes vitis honore comas.
Ingrediens pingui se cortice maxima ficus
Seruat, & optatos implet adepta sinus.

DE PVNICA.

Punica non alios vnquam dignata sapores
Mala, nec externis associata comis:
Ipsa suas augent mutato semine gemmas,
Et sibi cognato picta rubore placent.

DE CITRIO.

Necnon & citrij patiuntur mutua rami
Pignora, quæ grauido cortice morus alit.
Pomaq; pasturi blando redolentia succo
Armatis mutant spicula nota pyris.

DE

DE OLEA.

Robora Palladij decorant syluestria rami:
Nobilitat partus bacca superba feros.
Fœcundat sterilis pingueis oleaster oliuas,
Et quæ non nouit munera, ferre docet.

De insitione, ex Petro Crescentio decerpta ad verbum. CAP. VIII.

Oportet scire quòd insitionum multi sunt modi. Primus quidem est quòd fraga eiusdem arboris omnia vltra medium medullæ ex transuerso incidantur, & tunc alligetur quod incisum est, sicut vulnera ligari consueuerunt: & circumponatur cera vel lutum ad pluuiæ & extrinsecorum nocumentorum defensionem, & ne rumpi aut eorum plagæ aperiri agitatione ventorum possint, conuenientibus perticis muniantur: statim enim consolidato vulnere superior pars emūdatum in sapore profert fructum propter digestionem succi in nodo factam, & hoc propriè dicitur Insitio: quæ quidem plantam in alteram non transmutat speciem seu genus, sed eam de syluestri domesticam facit. Secūdus modus est quòd vna & eadem arbor abscindatur in trunco, & fragum superius in eadem arbore acceptum, trunco suo inseratur, tunc enim conualescens insita, profert fructum alterius generis in sapore, & quātitate & figura quam prius protulerat: & iste modus fecit diuersitatē omnem quæ est in malis & pyris, & cæteris fructibus. Tanta enim est vis nodi & conuersionis pororum qui prius ascenderunt, quòd succum ex nodis reten-

um dirigunt ad aliam formam plantalem, quæ monstratur in quantitate & sapore fructus. Tertius modus inuêtus est in vite et quibusdam alijs quæ ex medulla crescunt: videlicet quòd gemma vnius vitis excidatur vsq; ad medullam profundè, vulnere transuerso & obliquato: & tantundẽ de gemma vitis alterius eruitur, & loco alterius ponitur, & fit colligatio sicut in alijs, & tũc conualescit & fructificat. Fieret fortè in alijs arboribus, sed in vite expertum est. Quartus insitionis modus est, quo fragũ arboris vnius in aliam inseritur arborem, conualescitq; ea fructificat in ea per modum qui sæpè dictus est. Et iste modus regulariter cùm fuerit magis similium, erit melior & citiùs conualescens: & fit propriè in illis arboribus quæ rectos habent poros, & per tunicas ligatas, à radice accipiunt nutrimentum. Sed iste modus, & similiter secundus, in plures subdiuiduntur modos. Vnus quidem est, quo surculus inserendus inter corticem & lignum nouæ matris imprimitur. Secũdus, cùm surculus scisso ligno infigitur. Tertius fit more emplastri. Quartus dicitur ad buccellũ. Quintus verò salicis pertica perforata. De omnibus per ordinem dicendum est. Primus quidẽ modus, quo surculus inter corticem lignúmque deponitur, fit hoc modo. Truncum serra acuta recidimus in loco nitido & succoso: ipsúmque cum fascia corticis desuper polimus: deinde vimine salicis, aut vlmi ligamus: ibíque inter corticem & lignum cuneum ferreum, vel osseum, in acutum tendẽtem, ab vna parte latum, & ab alia quasi rotundum, tribus propè digitis deponimus, considerando ne corticis fascia scindatur: & in eum locum subducto

cuneo

cuneo ſtatim ſurculum mergimus ab vna parte deciſum, ſalua medulla et cortice partis alterius, pellicula exteriori remota, ita quòd optimè trũco adhæreat ſurculi inciſura: qui ſuper truncum quatuor aut ſex digitis emineat, vel vſq; ad octo. Duos vel tres, vel plures ſurculos pro trunci qualitate conſtituimus, quaternis digitis vel amplius ad minus inter eos ſpatium relinquentes, et lutum deſuper conueniẽter ponentes, & peciam diſponentes, vel ligãtes. Hic autem modus optimè comprehendit & conualeſcit: ſed fieri non poteſt niſi menſe Martio vel Aprili, cùm iam poteſt lignum à cortice ſeparari. Sed nec fieri poteſt niſi in craſſo trunco vel mediocri: & in his arboribus quæ craſſum habent corticem & pinguem: vt ficus, pyrus, malus, & ſimiles. Conualeſcit autem optimè iuxta terram huiuſmodi facta inciſio, & etiam in quacunq; parte ſtipitis & craſſorum ramorum ſatis cõgruè prouenit: ſed omnis ſurculus duobus adminiculis ad minus, propter ventorum rabiem indiget. Modus autem ſecundus qui ſciſſo fit ſtipite hoc modo aggrediendus eſt. Reſecetur truncus & deſuper poliatur, vt dictum eſt ſuperius: deinde ſcindatur in ea parte quæ magis ſuccoſa videtur, & quæ corticem ibidem planum & adæquationi ſurculi congruum cernatur habere, quod maximè inuenis vbi maius eſt ſpatium inter corticem & medullam propter abundantiam nutrimenti quod ad partem illam acceſsit. Si antequã ſcindas, vinculum prope ſummum truncum ſtipitis ligaueris, cum minima ſciſſura longitudinis defendet: deinde cuneum duobus digitis vel quid minus, longũ formabis: & aperta ſciſſura eo, ſublatáque omni la-

 nugine

nugine de ipsius scissuræ labijs, surculum ab vtraque parte decisum immerges: taliter quòd cortex cortici adæquetur in parte exteriore, & lignum ligno interius, vt succus inter cortices & ligna possit liberiùs pertransire. In scissura etiã surculus optimè trũco nouæ matris adhæreat: deinde subducto cuneo, surculus in trunco spontè immissus constringatur. Super rimulas coniungendas et cortices, aliquid corticis huius arboris vel panni linei cerati ponatur, & cum iunco strictè ligetur. Deinde (vt ait Cato) subtili puluere in superiorem scissurã immisso, creta plurimùm comprehensa cum pauca arena & fimo bubulo, vel cum cera, super truncum & ligaturam ad defensionem caloris, venti & pluuiæ congruè disponatur, & pecia fascietur. Ego autem plusquã millesies probaui & semper inueni sufficere solam cretam bene compressam sine fimo & arena, vel cera & puluere. Hęc etiam in scissura proderunt, si vapor à radice ascendens ad nouum alendum surculum foras egrediens denegetur. Notandum tamen quòd istiusmodi & actus & operatio diuersificatur secũdum diuersitatem crassitudinis & tenuitatis stipitis inserẽdi, & cunei surculi incidendi. Nam inserendus stipes, surculo crassior est paulò, aut multò. Si multò, duobus potest scindi modis. Vno, vt ab vna parte stipitis vsque ad medullã tantùm cum congruo ad hoc scalpro scindatur, vbi vnus tantùm surculus infigatur. Altero, vt ab vna parte stipitis ad aliam scissurã pertranseat: ibíque duo surculi, scilicet vnus à qualibet parte ponatur, vel vnus tantũ si placuerit ab vna parte, altera vacua remanente. Si verò stipes est paulò crassior surculo, necessariò per

mediū scinditur, & vnum solū recipit surculum. Vbicunque autem vnus tantummodo surculus ponēdus est, debet cuneus eius formari vt in sciſſura ex vtraq; parte facta, tertia cum cortice conueniēti remaneat: in quarta verò quæ intra ſtipitē ſtare debet, nihil corticis & latitudinis videatur, aut modicū eo modo melius quo surculus in cortice, quàm in ligni ſtipite exterius & interius adæquetur. Vbi autē duo surculi sunt ponēdi, fit sciſſura cunei à duabus partibus propè medullā: quę etiam ad medullā & acumen accedat: ab alijs duabus partibus fit quasi eiusdem latitudinis: ita quòd pars paulò latior cum omni cortice permanēs, extra cum cortice matris æquetur: pars verò ſtrictior, remota exteriori corticula versus medullā ſtipitis interius diſponatur. Si aūt ſtipes eſt æqualis surculo qui inſeritur, formetur cuneus, vt ab vtraq; parte ſit cortex, et vtrarūq; fiat ęquatio, et cortice et peciola super riuulas posita, ſubtili vinculo sciſſo, vel cordula cū modica ſtrictura ligetur: & poſtmodū cum creta, seu terra & peciola faſcietur. Et hic modus iuxta terrā & in altum, & in summitatibus optimè conualeſcit: ac omnes iſtæ formæ quæ fiūt sciſſo trunco, poſſunt fieri cōuenienter menſe Februario et Martio, etiā menſe Aprili ſi surculus omni terra priuetur: & melius ſi colligantur antè quàm pullulēt, & diu sub terra in loco frigido vmbroſo seruētur, ſummitatibus non ſubuerſis. Et etiam menſe Ianuario cum calefactione ignis facta inſitio comprehendit, cùm eius auxilio agglutinans concurrat ſuccus: ſed tunc temporis erit inſitio cæteris melior, & melius conualeſcens cùm iam cortici ſe viridis ſuccus intulerit, & gemmæ incipiant eſſe

suspectæ. Ego etiam malorum insitiones feci circa principium Augusti de surculis illa æstate maturatis, & satis congruè prouenerunt. Veruntamen talis insitio facienda est sub terra, vel modicum supra eam, vt tumulatione terræ à tanto æstu insita defensetur: vel supra eam vas aliquod stillans suspendatur, & eo auxilio poterit hoc tēpore etiam in altum fieri. Fit etiam, vt ait Varro, hæc insitio commodè in solstitio æstiuo & Caniculæ signo, ac præcipuè in fico. Potest etiā prædicta insitio fieri sub terra & circa terrā, seu modicum supra terram, vbi sine dubio insiti ramusculi proueniunt omnibus alijs locis ad incremēta maiora, quia ibi lignum & cortex maximè beneficio soli adhærētis humescit, quæ insitio propriè arbusculis conuenit. Si verò arbor mediocriter magna fuerit, commodiùs erit eandem locis altioribus inserere, vbi cortex sit viridis et succosus, quàm ipsam circa terram inserere, quia sic fructus ex ea pluribus annis tardius haberetur: veruntamen quantò magis inferiùs fiet, tantò magis domesticabitur fructus. Si verò fuerit arbor magna plurimos habens ramos, nihil erit vtilius quàm ramos in locis nitidis resecare, ibiq; quotcunque volueris surculos inserere. Quòd si adeò vetusta est arbor vt ramorum cortices nimiùm sint rugosi ac humore consumpti, arbor eadem incidatur, & relinquatur incisa vsque ad annum sequentem, & tunc inserātur surculi qui in ea nati fuerint lætiores, & in cōmodiore parte locati, circumcisis cæteris & abiectis, qui tot numero esse poterunt, quot inserēti placebit: quia omnem numerum surculorum sufficienter nutriet talis arbor. Modus quidem inserendi quem Palla-

Palladius emplastrationem vocat, sicab eodem fieri affirmatur. Ex nouellis ramis incisis & feracibus gemma quę bene apparębit sine dubio processura, duobus digitis quadratis circumsignetur vt ipsa statuatur in medio, & ita subtiliter cortex leuetur acutissimo scalpro, ne gemma lædatur. Item ex ea arbore cui gestimus inserere, similiter cum gemma tollatur emplastrum, nitido tamen atque vbere loco, tunc ibi conuenienter impressum circa gemmam vinculis cogitur cohærere sine læsionis germinis, tunc luto superlinis & liberam gemmam relinquis. Cui multùm proderit si peciola cum cera super iuncturam & rimulas corticum apponatur, ad extrinsecorum nocu mentorum defensionem, & nutrientis succi ac vaporis viuifici retentionem. Ramos deinde superiores huius arboris resecabis, ne mater proprios volens nutrire ramos, alienum filium sibi propter vtilitatem radicũ per eundem relinquatur. Deinde verò viginti diebus exactis aut pluribus, resolutis vinculis reperies externi seminis gemmam mirè in arboris alienæ membra transfixam. Hic autem modus mense Iunio fieri posse asseritur, licet & antè, & post modicum comprehendat, dummodo gemma conueniens habeatur. Est modus vulgariter ad buccellũ dictus, qui huic proximo est plurimùm affinis, fit hoc modo: Buccellus paruus crassitudine pollicis lõgus, cum gemma in medio, de nouo surculo eleuetur eiusdem crassitudinis, suo cortice in tres vel quatuor partes scisso & denudato ponatur, & tantùm inferius consideratè comprimatur, quod ligno stipitis mediocriter strictè adhæreat: & cortex appositi surculi non scindatur, & siue gem-

ma posita super locum gemmæ sublatæ ponatur, siue non, nihilominus sine aliquo ligaturæ vel alterius rei auxilio conualescit. Abscindenda tamē est omnis circundans soboles surculorum, ne insitæ surripiat nutrimentum, ei tamen magnum adminiculum præstabit, si cortex pendens taliter rescindatur, quòd remanēti appositus buccellus subtiliter adæquetur: & propter dictam causam peciola, deinde creta super iuncturam & totum buccellum ponatur, libera gemma relicta, posteà ne cera cadat, linea pecia fasc ietur. Fiat autem hic modus mense Martio, dum cortex separatur à ligno, & mense Aprili & Maio. Surculi antequam gemment collecti seruātur in loco frigido & vmbroso ne pullulent, sub terra pro parte submersi. Item expertum est in mense Iunio circa finem, & Iulio, buccellum paruum cum gemma de nouissimo surculo eleuatum, & in nouissimo surculo positum eiusdem crassitudinis, siue gemmæ adæquentur, siue non, sine aliquo auxilio ligaturæ vel alterius rei, optimè conualere. Et tam hic modus, quàm superior qui emplastratio dicitur, locum habet in his solis arboribus quibus succus pinguis est in cortice, vt ficis, oleis, castaneis, & similibus. Potest etiam sine abscisione inserendi surculi eleuari buccellus, & domesticus eiusdem crassitudinis ab vna parte scissus ibidem apponi, & cum filo ligari ac præparari, vt dictum est supra: & vbi comprehendisse videbitur supra buccellum abscinde, relicta enim summitas succum ad buccellum fortiùs attrahit quā abscissa, & hoc modo possunt plures eiusdem speciei & diuersarum in vna virga formari. Modus qui fit in salicis pertica fit hoc modo: Pertica & baculus

culus dictorum lignorum perforetur subtili terebra & acuta, ita quod inter vnum foramen & alterum sit spatium semipedis, & surculus modicum raso cortice intromissus iungatur in scrobe surculis eleuatis, ita tamen quòd perticæ saltem salicis, summitas remaneat supra terram: hinc vero post annum materia totaliter eleuata, & inter surculos incisa, plãtam quamlibet radicibus plurimis decoratam in ordinata scrobe depone, cui forsan proderit si creta, vel cera, foramina & eorum scissuræ vndique optimè obturentur. Quidam autem mihi asseruit se expertum fuisse hanc insitionem in palo salicis viridi perforato vsque ad medullam solummodo, & infixisse surculos æqualis crassitudinis remoto cortice, quatenus intrarent in foramen, vt cortex surculi æquaretur cortici pali, & cum cera omnem rimulã obturasse, & posuisse palum sub terra, quatuor digitis iacentem in loco aquoso, ita quòd de palo nihil apparuit, sed solum surculi supra terrã, & comprehendisse optimè omnes, & resecato inter surculos trunco plãtasse & bene conualuisse. Alium modum inserendi retulit Columella, dicens, Gallica terebra vsque ad medullam arborẽ perforandã, plaga interiùs leniter inclinata, vbi deducto omni fragmine, vitem, vel ramũ admodũ foraminis delibratum, succidum tamẽ & humidum strictim imprimi iubet, vna vel duobus gẽmis foris relictis, & tunc argilla & musco locum diligenter operiri, & ita vites in vlmo inseri posse dicit. Prædicti autem duo modi fieri possunt in mense Martio, vel principio Aprilis: aut cùm viridis & nouus succus calore aëris dissolutus mouetur in cortice. Item scribit Varro aliũ modum

dum inserendi suo tempore inuentum in propinquis arboribus, hoc modo: De arbore ex qua vult habere surculum in eam quam inserere vult ramulum traducit: & in eius ramo præciso ac defixo implicat in locum, quod contingit ex vtraque parte quod intus est falce extenuatum, ita quod ex vna parte qua cœlum visurum est, corticem cum cortice æquatum habeat eius ramuli quem inseret, cacumen vt directum sit ad cœlum postero curet anno: dum comprahenderit, vnũ propagatum ab altera arbore procedit. Ex prædictis igitur patet, quòd licet insitio in similia sit melior, tamen in dissimilia plurimùm cõualescit & infinita mirabilia facit, quæ apparent his qui experiri desiderant, & in talibus exercitantur.

HACTENVS Petrus Crescentius, qui insitionum historiam confusam & impeditam nobis reliquit, vt legenti facilè erit iudicare. In qua nihil immutare visum fuit, siue sententiam spectes, siue dictionem, quæ multis locis inepta est ac ridicula, sed ornari res ista negat, contenta doceri. Multa sanè occurrent, quæ non Dauum, sed Oedipum desiderabunt, quod corruptissimo exemplari, ex quo hæc verbum è verbo transcripsimus, acceptum ferre licebit.

De insitione, ex libro Iouiani Pontani de hortis Hesperidum. Cap. IX.

IAm reliqua insitio est, hominúmq; industria: nunc tu
Huc aduerte animum, & veterum cape dicta virorum.

Impri-

Inprimis ramos libro demitte sub vdo,
Artifici dextra, fisso nunc inijce ligno,
Atque altè impacto cuneo inserito: alteriúsue
Corticibus iunge, & cera mox illine adacta,
Vlmeáque obseptis constringito vincula plagis:
Ac pluuiam arceto coniecti cespitis herba.
Nunc & crescentem vicino è margine virgam
Admoue, & inciso leui sub vulnere libro
Sic fige, vt lento non desint cingula nodo.
Aut & eam transmitte forato ad viscera trunco:
Mirantem latebrásque cauas, & operta viarum,
Néue excide illam: finito de matre propinqua
Hauriat vt succos solitos, solita vbera lactet:
Donec eam grandem natu, longéque valentem.
Atque nouercales stringentem enixiùs vlnas
Videris & proprio meditantem viuere succo:
Tunc abrumpe manu, materna & stirpe reuelle:
Crescet, & immensum ducet latè aucta cacumen.
Interea læto surgit dum surculus auctu,
Sæpè riga, sæpè eductas de stipite gemmas
Euelle, & duris inuerte ligonibus arua,
Ac matri blandire sua dum prole repulsa
Cogitur indignans alienos pascere fœtus.
Qum & surgentem sobolem defende sub vmbra
Frondentis rami, dum Sol furit, & furit æstas
Victa siti: idem ipse in glacie tege, tecta supernè
Insternens crassa è stipula, cannáue palustri,
Vrat ne teneras rabies aquilonia thyrsos
Cum primis valida nitatur surculus hasta,
A vento tutus, longéq; vrgente procella:
Et nunc scalpello tenui, nunc molliter vngui
Detondens, prima luxum compesce iuuenta,
Vtendum parcè ferro, sed nec tamen ipsa
Luxuries toleranda venit, quæ fœtibus obstat.

Atque equidē memini (tantùm se industria promi
fit)
Qui diuersa quidem, parua sed semina in vrna
Condat: & educens collo breuiore stolones
Subducatq́ꝫ, arctetq́ꝫ manu, ac sub vincula cogat
Crescenteis, hi tandem vno se stipite miscent,
Atque vno obducunt se cortice, néue flagella
Dilabi finito: neu summa cacumina ventus
Diuellat, cera linito, aut diducat adulta,
Vnguine dum proprio corpus iunguntur in vnū:
Atq́ꝫ operit lentum sub eodem codice gluten.
Postquā alta steterit radice infossa, & opimum
Raptarit stirpes succum, mirabere poma
Plenaq́ꝫ grataq́ꝫ: non vno tamen vna sapore.
Sunt qui diuersos ramos, sed cortice raso
Coniungant, stringantq́ꝫ simul quo glutine misto
Increscant ęquè, & fisso mox stipite iunctos
Infigant pariter, tum vulnus ritè coronent,
Et fallax opus admota tueantur ab arte,
Quo ramo ex vno, atq́ꝫ vno de palmite fructus
Non vni veniant, sit honos & gloria ruri:
Gaudet enim insolito natura adiuta fauore.
Porrò non desunt, qui scisso codice adacto
Dilatent vulnus cuneo: mox vulnere crudo
Includunt gemmas alienæ stirpis alumnas:
Ac tenui obstringunt vitta: non fit mora, longos
Emittunt ramos, & latè brachia fundunt:
Sic dorso alterius (mirum) noua pullulat arbor
Quinetiam alterius nudato cortice, plantem
Vidimus alterius, frondente cacumine, ramos
Erigere: ingentem & tunica sobolescere syluam,
Et stirpem informem nemora in generosa nouari
Ergo castanea è molli, è præstante sagitta
Laudatæ genitricis, adulto & germine, virgam
Exuito,

Exuito, exuuias gemmisq́, oculisq́ nitenteis
Seligito, his sterili spoliatum cortice truncum
Degenerem induito, vincloq́ vrgente ligato:
Quo sese & pluuiæ, & Solis tueatur ab æstu:
Nec te blanda manus finito frustretur inertem,
Aut ludat tunica vitiosum arente flagellum.
Iam videas docili è planta pubescere prolem
Frugiferam tunc carpe manu, tunc erue ferro
Quod superat matre è sterili, & blandiri nouellis
Mira fides nitidis palmes se tollet alumnis.
Sic quæ olim sterilis fuit arbor & horrida cultu,
Sponte sua, nullisq́ hominũ ante obnoxia curis,
Mutabit genium, vertetq́ ad munera frugum.

Ex eodem.

Quando & inexpertum nihil ars finit, hoc quoq; & hortis
Accedat, vel dictu etiam mirabile: de quo
Quãuis longe audax, quanquã sibi cõscius vsus
Addubitet. Ramum fœcunda è matre reuulsum
Decutiens capito: cæsum mox vndiq; librum
Aequatis ferro spatijs, dextraq́ volentem
Exuito: inde pari confossum vulnere dorsum
Stipitis alterius nudato, & veste recenti
Induito: vt coëant extremis partibus oræ
Vestis, & è lento mollescant vulnera limbo.
Vlmea dein teneris indantur cingula plagis:
Vincula quæ ingentis committunt vulneris ora,
Vestiat & frondens truncũ toga: pellat vt imbres
Arceat vt Soles, & sæuæ vredinis iram.
Dij facinus mirandum hærenti è cortice, cortex
Ipse nouus victum medius rapit: atque supernis
Instillat ramis: quæque in sua pabula traxit
Efuriens alimenta, suo & de fonte refusa
Ipse suis infundit alumnis, ipse & amicum

Irroq;

Irrorat lac, vt sensim in sua nomina vertat:
Ramosq; frondesq;, & eodem semina fœtu:
Antè quater nidum in tignis quàm figat hirũdo,
Et quater extincti renouet quàm funera nati,
Tantùm ars ipsa valet, tãtumq; industria pollet:
Et tantùm insitio fœcundos adiuuãt hortos:
Cui fauet impatiens ocij languentis egestas.

Hactenus Iouianus Pontanus, qui sub citriorum & limoniorum insitione, quasuis alias docto & erudito carmine per occasionem complexus est. Vir sanè admirabilis & summa laude dignus: qui rem tam impeditam & difficilem, tam eleganti carmine facilem ac familiarem reddiderit.

Insitionis ope & artificio multa ad stuporem vsque miranda fieri.

CAP. X.

MVlta sunt in numeroso illo rerum mundi theatro, miraculi loco habita, quæ vel fortuitus edidit casus, vel ingeniosa hominum effinxit industria, comite labore, & experientia duce. Ex quo rectè scripsisse mihi videtur poëta,

Ipsa nouas arteis, varia experientia rerum,
Et labor ostendit miseris, vsusq; magister.

Causa cùm plerosque lateat, illis tãtùm miraculi & stuporis ingerit, vt præter naturã, talia euenire censeant. Res ea cùm in alijs multis, tum in arborũ insitionibus locũ habere maximè solet. Quarum ope & ingenioso artificio, fieri plerunque videmus, vt vna arbor adeò prodigioso spectaculo, diuersi generis varijque gustus, odoris, coloris, &

ris, & facultatis poma, nuces, vuas, flores, & alia ab vno & eodem trunco emergentia, proferat: vt oculis intuentium nihil admirabilius occurrere possit. Quod vt demõstrem, & exemplis, cùm veterum, tum recentiorum confirmẽ, producã oculatos testes duos: Pliniũ imprimis, virũ omni exceptione maiorem. Vidimus, inquit insitam arborem iuxta Tiburtes Tullias, omni genere pomorum onustam: alio ramo nucibus, alio baccis, alijnde vite, ficis, pyris, punicis, malorumq; generibus. sed huic breuis fuit vita. Producam præterea Ioannem Baptistam à porta Neapolitanum, lib. 2. suæ Magiæ naturalis hunc in modum scribentem: Vnam nouimus arborem, delitias horti nuncupatam, crassitudinis & proceritatis non ingratæ: quæ præpingui, riguo & superfœtante solo consita erat: vt tum vigore, tum humi vbertate, insitis alimentum suppeditaret. Erat trifurca: in vno ramo vuam vnam, & item alteram vinaceis vacuam, discolorem & medicatam gerens: quarum altera soporem, altera alui deiectionem moliebatur. Secundus ramus persicum adferebat ex persico & nuci-persico interuallis pluribus æquè distinctum, absque vllo osse. Quòd si cui inerat, nucleum dulcem vti amygdala dabat: & nũc hominum, nunc animalium faciem ementiebatur pomum, diuersáq; lineamenta demonstrabat. Tertius cerasia exossa, acida, ac dulcia emittebat: adhæc mala aurea. Cortex floribus rosisq; consitus erat: fructusq; ipsi debitam magnitudinem superabãt, & alijs dulciores ac odoratiores erãt. Verno tempore efflorescebat arbor, & vltra debitum tempus suos fœtus producebat, qui diu in arbore morabantur, & continuæ fœcunditatis

orbem toto anno miniſtrabant. Nam per quoſdã gradus poma ſibi ſuccedebant, & fœtura interpo labatur. Brachia ponderibus inclinata procumbebant: denique ſic cœlum fauebat, vt pulchriorem arborem non conſpexerim. Hactenus ille, ex quo hiſtoriam tam raræ & pulchræ arboris huc proferre voluimus, vt intelligeres,

Quantùm ars ipſa valet, quantumq́; induſtria pollet:
Et quantùm inſitio fœcundos adiuuat hortos:
Cui fauet impatiens ocij labor, optimus artis
Cuiuſcunque dator.

Hæc ſunt quæ de inſitionibus ex Græcis & Latinis rerum agri doctoribus eximijs in præſentiarum adferre poſſum. Quæ ſi parùm accuratè curata quis dicet, curioſius ii curabit, curam ſibi procurabit, & amicitiam noſtram conciliabit.

FINIS OPVSCVLI INSITIONVM, ANTONII MIZALDI *ſtudio & diligentia concinnati.*

ANTONII MIZALDI MONLVCIENSIS MEDICI, DENdranatome: *ſeu, Exploratio & diſſectio corporis arborei in ſua ſigillatim membra & parteis. Vbi de earum officijs, nutritione, ſuccis, humoribus, & alijs.*

APVD omneis omniũ gentium & linguarum Philoſophos pro conceſſo & confeſſo habetur, Deum Opt. Maxi. ancillantemq; ei Naturam, nihil vnquam fruſtra feciſſe: dediſſeque rebus omnibus parteis & membra, quę illis ad vſum eſſent neceſſaria. Arboribus
Hinc ſtirpium generi vniuerſo radices, velut fun datas eſſe
damenta quædam, iecit: vt ijs quaſi pedibus (ſic radices pro
enim loquitur Plinius) ſubſiſterent ac firmaren- pedibus.
tur. Quibus caudicem, vel, ſi mauis, truncum ſu-
perpoſuit: ramiſq; quaſi brachijs rurſus illum Truncus.
diffudit: & ex his caules ac ſurculos elicuit, velu- Rami.
ti manus & digitos: eorumque alios fructu do- Surculi.
nauit, alios fronde ſola & folijs veſtiuit: quibuſdam genitalia membra dedit conceptu & fœtu ſuo tempore grauida: plerîſque verò alijs, vmbracula duntaxat & tegmina præſcripſit ad tutandos, protegendoſque partus: & ob id fructibus priuauit. Arboreis itaque ſurculis & cauliculis genitalis ſedes aſſignatur. Quòd ſi nonnun-

quam à partu cessent, non tamen vt orbi & steriles à fertilium choro sunt explodendi. His omnibus corticem, ceu cutem quandam apposuit: cui humor subest, qui sanguis intelligi debet, omnia alens, vegetans & sustinens, vnde etiam arboris caro coalescit, cortici proxima: cui venæ insunt per caules & surculos ad folia vsque perreptantes. Subest itaque humor quidam nutritius, ceu sanguis quispiam & saliua, non solùm arborum cortici, verumetiam partibus reliquis: sed non idem omnibus: lacteus etenim ficis inest, ad coagulandos caseos non inutilis cerasis: gummosus: vlmis saliuosus: malis lentus ac pinguis: vitibus, pyris, aquosus: & ita de alijs: sed viuaciores sunt arbores quibus lentior subest humor. Insunt & succis arborũ quarundã adipes: qui à colore albo Alburnum vocantur: mollis ac pessima pars arboreæ carnis: nam facile putrescit, & teredinibus obnoxia esse solet. Ex quo velut marcori patens, in lignis ad ædificandũ repositis excludi & resecari debet, ne pars sincera trahatur in vitium & corruptelam. Arboribus nonnullis pulpa tenui constat stamine, absq; venis: & huiusmodi arbores fissiles maximè traduntur: quibus nõ adest, frangi, quàm scindi aptiores sunt: vt in olea & vite experimur. Quæ recto neruorũ stamine seu filamento coaluerunt, quòd frangentẽ præ cęteris violentiam respuant, vinculis fascium dicari solent. Hinc nimirum, genistæ, coryli, vlmi, betulæ, & populi rami, aliarumque arborum quarundam, ad id præcipua dos. Subtument & glandia, nonnullarum arborum carni, perinde atq; in corporibus humanis, quodam callo carnis in se conuoluto. Nunc de medulla paucis agendum, quæ latet in singu-

Cortex, Humor. Caro. Venę. Arborũ humores varij. Alburnum velut adeps. Pulpa. Nerui. Glandia. Medulla.

ſingularum arboris partium meditullio, vt in ſolidis animantium partibus. Sed inter ſe diſcrepãt arbores in hac medulla: quibuſdam enim carnoſa ſubeſt, vt fico, ſambuco, & alijs: quæ ob id fungoſi generis exiſtimantur: Alijs, lignoſa ſentitur, vt larici, abieti, pino & ſimilibus. His vtcumque elucidatis, nunc demum ad nutritionem calamũ in hunc conuerto modum. Si omne quod adoleſcit, augeturque, alimẽtum capit, & illud caloris attrahentis & concoquentis beneficio ſibi comparat, neceſſum eſt, arbores caloris principium aliquod, habere: quo ſuis radicibus alimentum ex nutritio terræ ſinu, ceu ab altricis vberibus confectum, ſugant & hauriant. Nam terra perinde atque vbere vtuntur: vnde ſuccus alendis partibus diſpenſatur, qui ſeminibus ad educandam nouam ſobolem conſpirat. Sic autem procedit educatio. Radices maiores & craſſiores proximo & illibato terræ ſucco primùm aluntur: tum demum minores, ceu capillares quædam venæ ex maioribus obortæ: dein, reſiduum ad truncum & illius parteis excurrit ac tranſmittitur, donec ad ſummum & vltimum vſque ſurculum ac folium iugi tranſmeatione & miniſtratione peruentum ſit. Naturali enim vi ac facultate nutrimentum per trunci medullam, ceu per canalem & ſyphunculum, cæcis quibuſdam meatibus, ad ſummum vſque & extremum germen, floſculum, fructum, ramulum & foliolum vndiquaque diſtribuitur. Quò cùm peruenerit, ibi conſiſtit & abſumitur: vnde tam multa in ramorum capitibus germina. Quòd ſi veluti redundans ad crura radicibus vicina reflectatur & remigret alimentum ipſum, multos ibidem ſtolones edit: humo-

Arborũ calor ingenitus.

Modus educationis arborum.

Germina.

Stolones.

re nutritio illuc conuerſo, & à partibus ſuperioribus remiſſo. In his paucis, præcipua conſiſtit arborei corporis anatome, & explicata in ſuas parteis diſſectio à capite ad calcem: vel ſi mauis, à cacumine ſummo, ad imas radices, tam maiores quàm minores. Quarum ſtatum & implantationem quoties de aſpectu, vel cogitatione mihi propono, toties beneficentiſſimi Dei bonitatem inenarrabilem, & ſapientiam incomparabilem demiror ac ſuſpicio: qui tantam radicibus illis, & his infixis capillamentis ac fibris facultatem elargitur, vt citra vllum auxilium, prodigioſam lignorum molem (cui vehendæ vel centum quãdoque inſtructiſſima plauſtra vix ſufficiãt) tamque numeroſam fructuum multitudinem (quæ vel nauiculam alicubi onerare poſſit) non dicam ſuſtineant, ſed aſſidua elementi ſubminiſtratione, etiam in arido plerunque cœlo & ſolo, pluribus ſeculis atque ætatibus alant: ac tam vberem, vt diximus, ligni & fructuum copiam ſuppeditent, vt non ſolùm ad hominum vſum multiplicem, vel annis quamplurimis ſufficiat: quin imò multorum quoque animalium & volucrũ pabulum etiam proferat. In quam rem, ne per varias arborum claſſeis inſolenter noſtra vagetur oratio, Nucem arborem, vel Quercum de multis pro exemplo adferam. Quæ in tantam altitudinem, & vſqueadeò vaſtam, vmbriferamque amplitudinem, quandoque ſpaciatur, excreſcit, & dilatatur, vt ſub ea, vel Alexander ille Magnus, gentium terror quondam nuncupatus, cũ numeroſo exercitu ſuo, facilè caſtrametari poſſit. Quam vaſtitatem & ſummè admirandam molem, fructuumq; inexplicabilem copiam, quis alit?

Dei ſapientiam & bonitatem in rebus omnibus elucere.

Pulchra philoſophia.

De Nuce & Quercu notanda.

alit? quis immensum illud corpus sustinet? quis radices fulcit ac firmat aduersus violentissimam ventorum rabiem & horrifica fulmina, quæ vel prodigiosas turres funditus euertunt, & solo adæquant? vnus sanè est Deus Optimus Maximus, qui mirabilia facit solus, quæcunque sunt in cœlo, aëre, terra, mari, & profundis abyssi: cui honor, & gloria in omne æuum.

Deū o... firmare & sustinere.

DE HOMINIS SYMMETRIA, PROPORTIONE ET COMmensuratione.

ANTONIVS MIZALDVS LECTORI.

NE hîc paginas aliquot inanes & suo fructu viduas ac steriles, ceu Prętoris album, videres, pretium operæ facturum me putaui, si eas, absolutis Hortensibus, alia memorabili doctrina quapiam replerem, & in tuam gratiam illustrarem. Ea itaque esto de Hominis symmetria & mensura admirabili: vt noscat vnusquisque suum corpus aliud nihil esse, quàm Harmonicum quoddam instrumentum omnibus suis numeris absolutissimum.

Imprimis itaque cogitandum tibi proponimus,

mus, quod solers Natura ita hominẽ formauit, vt eius faciem summo loco spectandam proponeret, quò cæteræ totius corporis partes suum commensum & dimensionem inde susciperent. Constet autem ea tribus dimensionibus. Vna, à summo frontis qua capilli nascuntur ad intercilia: Altera, hinc ad imas nareis. Vltima, à naribus ad mentum. Hę autem per se multiplicatæ, vt volunt, integram, quanta erit, humani corporis staturam reddent in nouem portiones distributam.

Faciei dimẽsiones tres.

Statura humanæ portiones nouem.

Prima erit facies ipsa: Secundam constituet pectus, à clauiculis ad sternum, seu summum stomachum. Tertia erit ab hoc ad vmbilicum. Quarta, ab vmbilico ad femur summum. Quintam & sextam, coxendices ad poplitem complebunt. Septimam & octauam, à poplite ad talos. Nonam, ab his ad extremos pedum articulos. Constabit itaq; humani corporis longitudo, vt dictum est, partibus nouem: quanquam alij octo, alij, quod rarius est, septem fecerint. Quod de adulto viro hîc intelligendum censemus: non de infantibus: quorum in longitudinem mensura omnis, quatuor constare faciebus perhibetur.

Analogia singulorum membrorum corporis in longitudinẽ.

Consideranda & ipsa inter se partium ἀναλογία, quam alibi proportionem, hîc, ni fallor, commẽsum propriè dixerimus.

Quanta est longitudo ab intercilijs ad summas nares, tanta erit productio menti à iugulo. Quanta à summis naribus ad mentum, tanta à iugulo ad imam gulam: hoc est semiportione. Quantum est superioris labri interuallum ab ore hinc ad nareis imas, tantũdem erit summarum narium prominentia à labro: tandundemq; & oculorũ ab intercilijs cõcauitas ad interiores angulos. Preterea in ma-

in manibus quod eſt extrinſecus à ſummo vngue indicis, ad iuncturam hinc imam, continebitur ſemiportione. Ac rurſus hinc ad eã quæ brachio colligatur manus, alia. Sic & intrinſecus à ſummo vngue medio. Primus autem indicis articulus maior, fronti correſpondebit. Secundus ad extremum vnguis, naſo. Primus item medij, huic quod eſt à naribus ad mentum. Eiuſdem ſecundus, huic quod eſt ab imo mento ad inferioris labij ſupremum: & rurſus vngularis eiuſdem articulus, huic quod eſt ab ore ad inferiora narium. Et indicis eodem, à ſupremo labri ſuperioris. Maior pollicis articulus coæquabitur huic quod eſt à mento ad ſummum labij inferioris. Minor huic quod eſt à nare, ad idem. Vnguium autem articulorum omnium, dimidiatam ſibi partem occupabunt vngues ipſi.

Frons in latitudinem à media linea quã diſcriminatricem appellant, hinc inde ad prima tempora ſua bis definietur longitudine. Ab intercilijs ad extremos oculorum angulos, atq; hinc ad primas aureis, harumq; longitudo tãtundem. Id verò ſpatium quod eſt inter vtramq; extremitatem oculorum, ex duabus iiſdem dimenſionibus in tres partes diſtinctum, duas oculi, vnam ſibi intermedius naſus vendicabit. Oris latitudo, ſi per ſummum labij metiatur, reſpondebit fronti, naſóve: ſin circino, illi ſpatio quod eſt pollicis articulo maiore definitum, à labro ſuperiore ad mentum. Pectoris latitudo faciebus continetur duabus: Palmaris autem, plantariſq; latitudo, definiri ſemper inuenietur ſemiportione. Spatium inter vtramq; mammillam vna facie continetur: earúmque certus ſitus ab inferiore gula, eodem

Commenſuratio ſingulorum membrorum corporis in latitudinem.

dimensus circino deprehendetur.

Mẽsura singularũ corporis partiũ in altitudinem.

In altitudinem verò mensura qua sola circunlatione comprehẽditur, ex supra dictis hoc modo capietur. Capitis per mediam frontem altitudo, portionum est trium: item & summæ coxendicis. Per occipitium à summa fronte ad ceruicẽ, duarum: itemq́ et infimæ coxendicis. Colli duarum: Pectoris per alas ad tergum, quinq;: Ventris per medium, quatuor. Lacertorũ, coxarum, crurum, pollicis, cæterorumq́ articulorum summa circunferentia, nunquã plus longitudine eorundem membrorum continet. Extremum brachij propter iuncturas manuum, portione, propter nodum tibiæ, etiam quarta. Altitudo autem hæc quæ est ab imo talorum ad summum pedis, respondebit longitudini, quæ est isthinc à summo pedis ad extremum vnguem. Colli circulatio ei parti respondet portione, quæ est à summo pede ad vmbilicum. Sed de his satis. Quæ ex Pomponio Gaurico, ferè ad verbum tibi trãscripsimus: obscura sic satis: fruere, si potes, & fœliciter vale.

FINIS.

DIOCLIS CARYSTII
MEDICI, AB HIPPOCRATE *FAMA ET AETATE SECVNDI,*

aurea ad Antigonum Regem Epiſtola, de morborum præſagijs, & eorundem extemporaneis remedijs, per Hortenſia.

AD HAEC,

ARNALDI A VILLA NOVA MEDICI præſtantiſsimi Conſilium ad Regem Aragonum, de ſalubri hortenſium vſu.

ANTONII MIZALDI MONLVctani, Medici, cura & diligentia.

PRVDENTISSIMO ET INTE-*GERRIMO VIRO PETRO SEGVIER*

in Pariſienſi principe Galliarum Senatu Præſidi ANT. MIZALDVS. S.

Laudabile equidem & præclarum ſemper exiſtimaui, Præſes ornatiſsime, mortales rebus ad vitæ cultum, vſum & mores pertinentibus adiuuare, & iure iuſtitiaq; eoſdem prudéter regere, vt cuique quod ſuum eſt ex æquo & bono, tribuatur: Sed non minus etiã laudabile ac præclarũ eſſe duxi, adfuturos morbos mortalibus præſagire, inſtantes præcauere, præſentes circunſpectè curare, & ſanitatis cõſeruationem (qua abſente lan-

languent omnia]salubriter docere. Cùm itaq; in his tribus & apertè,& breuiter,Hippocratico more,versari animaduerterem, in hac ad Antigonum Asiæ Regem aurea Epistola,Dioclem Carystium,fama & ętate,vt scribit Plinius,ab Hippocrate secundum,& toties à Claudio Galeno in testimonium accersitum, ac magnificè laudatum: precium operæ factur͞u me putaui, si eum è Græcia in Latium haud ita pridem deportatum, publicæ vtilitati proponerem,vt cariosæ vetustatis manus effugeret:quod temere factum esse nemo,opinor,iudicabit. Nam quid,per Deos immortales, præstantius esse potest in hoc vitæ & temporis lubrico & præcipiti curriculo,quàm priscorum inuenta, multo sudore, labore & vigilijs parta,candidè posteritati impertire?ne,vt diximus,rerum edax tempus, & inuidia pretiosorum operum rapacissima, obliuioque infida memorię nouerca,& artium, scientiarumq; deprædatrix insidiosa,illa eripiat,aboleat & misere sepeliat.Ne itaq; in tantum discrimen veniret Diocles Carystius,illum è tenebris in apertā lucem deducere,& à somno plus quàm Epimenidis longo, nimirum huc vsq; 1882.annor͞u, vel circiter,excitare non sum cunctatus,magno, mehercule,sanorum & ęgrorum commodo. Nam præter quàm quòd morborum partium corporis principum præsagia & signa breuiter proponit, vnà cum illorum curatione, mira etiam auxilia non solum inuentu,sed & absq; impendio paratu facilia,ibidem præscribit. Quæ,ecquid aliud,amabò, ob oculos ponunt, quàm priscam illam,& omnium primam, cùm Græcorum tum Latinorum, medicinā & medendi artem? Quæ, vt simplex erat, quia hortensis & campestris [ne longiùs eundum esset] ita absque vllo fuco, vlla arte, nausea & tędio,suauis habebatur,& vrbanis ęquè ac rusticis admodum grata & vtilis. Cuius rei si quis à me antiquissimum testem exigit, ego statim de multis illi producam Marcum illum Catonem, triumpho,censura,& literarum claritate insignem. Qui,vt Plinius tradit,herbis quas plantauerat, & maximè hortensi brassica,se,coniugem,filium,necnō libertos ad longæuā sene-

senectutem incolumes perduxit. Fuit igitur olim, vel amplissimo Senecæ testimonio, medicina paucarum herbarum scientia. Sed posteà fraudes hominum, vt ille idem scribit Plinius, & ingeniorum capturæ officinas inuenere istas, in quibus sua cuique homini venalis promittitur vita, & compositiones ac misturæ inexplicabiles decantantur, quæ solis hominum ingenijs constant. Non enim fecit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota, vt verbis vtar Plinij, parens illa, ac diuina rerum artifex Natura: officinarum hæc, imò verò auaritiæ, commēta sunt.

Sed de istis paucula hæc satis erunt, ne cum Plinio bene dicendo, apud multos cum Plinio malè audiam: nā vt obsequium amicos, ita veritas odium sæpenumero parit. Ad te itaque, Præses integerrime, nostra se cōuertet oratio: à quo supplex peto, vt, exporrecta fronte, & pro solito candore tuo, placide, præstantissimum & antiquissimum hunc Dioclem medicum, vnà cum suo collega Arnaldo à Villa noua, medico itidē clarissimo [quem paulò tersiùs loqui facimus, quàm illius ferebant tempora] hospitio tuo excipere digneris: id nequaquam gratis facturus. Nā hic sanitatem tuam salubri hortensium vsu prosperè tuebitur: ille, morbos ingruentes, certis signis & præsagijs, ceu digito, indicabit, & si aderunt, suauibus remedijs & paratu facillimis, citò, tutò, ac iucūdè propulsabit. Vterque suum Opusculum Regibus scripsit & deuouit: ego meam in vtroque operam, tibi summo viro & Præsidi inculpatissimo, qui mihi Regis instar haberis [si quidem verum id est quòd Homerus scripsit,

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit rex)

officiosissimè offero, & ex animo deuoueo: Eia itaque, vbi à grauibus Senatus occupationibus, & priuatis negotijs tibi respirare dabitur,

Sesquihoram scriptis illorum impende, sed hora
Sufficit: hoc nimium? subtrahe dimidium.

Verùm enimuerò, hic ingens pectus meum subit cura, ne ea quæ tibi dicamus præclaro tuo nomini parum respondeant:

deant: Sed me in eo solatur, audacioremque reddit Plinius, tradens multas gentes Dijs lacte sacrificare: ad hæc, mola salsa litare qui thura non habent.

Addo quòd & Diuis supremos inter honores,
Cespes, & exigui placuerunt farra coloni.

quemadmodum scribit Statius. Malè præterea me torquet, quòd tam vili munusculo, sublimitatem tuam salutem: Sed rursus hunc mihi scrupulum adimit magni Artaxersis Persarum Regis, præclarus & solennis modus, quo animos sibi donantium munera, quàtumuis exigua, potius expendebat, quàm munera ipsa. Quæ magnitudine & corporis mole non semper æstimanda esse,

Certò adamas, gemmæque docent: nam corpore paruo
Oblectant Reges, diuitibusq; placent.

Verùm hæc satis, vel fortasse plura quàm oportuerit, præsertim apud occupatissimum Præsidem: Cuius laudes, pro mea tenuitate, sanè quàm libenter hîc percurrerem, nisi re vera scirem, laudanda alacriùs facere, quàm facta audire. Cùm itaque id mihi tua modestia negatum sit, Præses prudentissime, ego interim Deum Opt. Max. qua potero sedulitate supplex precabor, vt & te, & præstantissimum Parisiensium Proprætorem filium tuum, Reipublicæ imprimis, deinde literis & literatis omnibus incolumes diu custodire dignetur. Lutetiæ, Idibus Septembris, 1572.

DIO-

DIOCLIS CARYSTII MEDICI AB HIPPOCRATE FAMA ET ætate secundi, aurea ad Antigonum Asiæ Regem Epistola, è Græco Latinè reddita, de morborum præsagijs, & eorundem extemporaneis auxilijs per hortensia, ANTONII MIZALDI medici diligentia.

DIOCLES ANTIGONO REGI BENE AGERE.

> Antigoni Regis eruditio non vulgaris.

QVONIAM summa tibi inter omnes Reges, ANTIGONE, *cõparata est eruditio, & iam senilis procedit ætas, vniuersaq́ philosophia ac mathematicarum nõ vulgaris tribuitur cognitio, quibus singulis clarißimus haberis, & palmã alijs longè præripis: Ego regiam quoque & familiarem tibi esse debere existimans, eam philosophiæ partem quæ ad tuẽdam sanitatem pertinet, idcirco tuæ Maiestati hac nostra Epistola paucis complecti volui, vnde nam infirmitates hominibus contingant: & quibus indicijs præcedentibus augurentur, quibúsue præsidijs opportunè eis prospiciatur. Quemadmodum enim signa quædam minimè obscura, cœli tempestatem ferè semper præueniunt, quibus nautæ, & alij rerum naturæ periti, quid faciendum sit vt tutiores euadant facilè colligunt: sic nullus præter*

> Similitudo sanè quàm apposita.

natu-

naturam affectus homines corripit, nisi certis præcurrentibus signis ille indicatus fuerit. Tu itaque nostris ea de re præceptiunculis admonitus, illas obuijs vlnis excipere & ad vnguem obseruare minimè dedignaberis.

Corporis partes quatuor.

Distribuimus humanum corpus in partes quatuor, Caput, Thoracem, Ventrem, & Vesicam.

CAPVT I.

CVM itaque morbus quispiam caput præhensurus est, certa præsagia & signa illum magna ex parte solēt prædicere. Cuiusmodi sunt capitis ad supercilia vsq; grauitas, aurium murmurans sonitus, & temporum pulsatio. Manè lachrimantur oculi & caligant: hebetatur odoratus, ac gingiuæ intumescunt. Itaque dum eiusmodi præsagiorum & signorum quidpiam animaduerteris, caput confestim repurgandum esse iudicato: nullis, inquam, phramacorum præsidijs, verùm, sumptis hyssopi, vel origani summitatibus tritis, & in ollula ebullitis cum passo, vel iuris semisextario, quibus os ieiunum collues, & quoad pituita educatur gargarizabis. Hoc sanè morborum capitis facillimum est remedium. Saluberrimum quoque fuerit, decocto sinapi, in aqua mulsa & calente præmacerati, ieiunum os itidem colluere, & gargarizando humorem è capite deducere. Oportet autem caput ipsum antea perblandè fricare, & tegumēto quopiam calfacere: vt liquefacta pituita sublato obstaculo, meliùs fluere possit. Quisquis præuisa signa & posita remedia neglexerit, se morbis istis opportunū fore certò sciat: nempe ophthalmiæ, glau-

Præsagia instantiū morborum capitis.

Remedia morborum capitis.

Semisextarius vnciæ decem.

Cautela notatu digna.

Accidentia ex neglectis remedijs capitis.

glaucomati, aurium dolori, strumis in ceruice, tabi cerebri & σφακελισμῷ, coryzæ, raucedini; anginæ nocturnę, lapsui vuulę, capillorum defluuio, vlcusculis capitis & dentium cruciatui.

THORAX.

QVando verò mali quidpiam thorax passurus est, his præsagitur & pręsignificatur notis. Sudor quidam per corpus vndique diffluit: sed omnium maximè ad thoracis regionē. Lingua crassescit, & salsa, amara, aut biliosa exspuuntur: spontanei dolores in lateribus & scapulis citra manifestam causam oboriuntur: oscitationes crebræ fiunt, vigiliæ fatigant, vrgent suffocationes, sitis adest, & ex somno labor & animi anxietas, infestant pectoris angustiæ, & brachiorum lassitudo, ac manuũ tremula affectio. Quibus nec malè, nec imprudenter ad hunc succurritur modum. Imprimis vomitus haudquaquam crapulosus, à cœna, quoad eius fieri potest, proritandus est ac mouendus: sed absque medicamento. Prosunt etiam vomitus ante pastum matutini, & ieiuni, à Græcis συρμαισμοὶ nuncupati. Quibus igitur hoc pacto vomere placuerit, radiculas tenues, seu raphanos, nasturtium, erucam, sinapi, aut portulacam deuoret, deinde aqua tepida affatim hausta vomat. Qui dicta præsagia & præsidia negligendo prætermiserint, hos metuant affectus, pleuritidem, peripneumoniam, melancholiam, febres acutas, phrenetidē, veternum, & cum singultu faucium ardorem & phlegmonem.

Signa morborum thoraci impẽdentium.

Remedia morborum thoracis.

Vomitoriũ paratu facillimum.

Incommoda ex neglectis præsidijs thoracis.

VENTER.

Indicia futurorũ ventris morborum.

SI quis autem morbus ventrem inuasurus est, his detegitur indicijs. Venter in primis conuoluitur, obmurmurat & perturbatur: esculenta cum poculentis amarorem præ se ferunt: genuum adest grauitas, spinæ & lumborum rigor inflexibilis, cum vniuersi corporis lassitudine, citra manifestã causam. Vbi hæc signa obseruas, venter, nullo quidẽ medicamento, sed victus ratione emolliendus ac lubricãdus est. Nam & meliùs & longè tutiùs est ijs vti, quibus non facilè potest delinqui. Ex horum classe & numero sunt beta aqua mulsa incocta, allia elixa, malua, rumex, mercurialis, & omnia melle condita: cuncta enim hæc alui excrementa clementer ac benignè deijciunt. Quòd si præsagiorum quodpiam magis atq; magis intẽdatur, cnici seu cartami liquorem omnibus decoctis infundes: nã is & suauior & tutior est. Vtilis etiam fuerit læuis brassica, multa aqua elixata. Huius etenim iusculum heminæ dimidiæ seu vnciarum quinq; mẽsura cum melle & sale haustum, summè iuuabit: perinde atque cicerum decoctum ieiuno stomacho eadẽ mensura potum: nam eundem habet effectum.

Remedia morborum ventris per illius lubricationem.

Aluum blãdè & facile soluentia.

Hæc signa & auxilia paruipendentibus affectiones istæ sæpenumerò succedere solent: diarrhœa, disenteria, lienteria, voluulus, coxarius morbus seu ischias, tertiana febris, podagra, apoplexia, hæmorrhoides, & articularis cruciatus.

Quæ sequũtur neglectã ventris curationem.

VESICA.

QVando autem vesicæ mali aliquid imminet, his indicijs dignoscitur. Post exiguũ cibum plenitudo infestare deprehenditur: oborriun-

Signa morborum vesi-

rũtur flatus & inflationes, ructus & pallor vniuersi corporis. Somni adsunt graues, vrinæ tenues, aquosæ & ægerrimè stillantes, necnon circa pudenda bubones, vel œdemata. Vbi sese proferent eiusmodi signa & presagia, auxilijs lotia impellentibus & promouentibus, opportunè succurrendum erit. Id quod sine periculo præstabũt apij & fœniculi radices, in vino albo, tenui & odorato, maceratæ & decoctæ: modò cyathi duo iusculi, seu vnciæ tres, quotidie exhibeãtur: manè nimirum & vesperi, cum aqua dauci, smirnij, vel enulæ campanæ: quodcunq; horum ad manũ fuerit, nam æquè singula prosunt. Cicerum quoque præmaceratorum & coctorum aquam, si cũ vino biberit ægrotans, idem prorsus consequetur. Qui verò scripta signa & auxilia imprudenter neglexerit, à sequentibus morbis sibi metuat: nimirum ab hydrope, lienis tumore, hepatis dolore, lithiasi, nephritide, stranguria, colico cruciatu, & torminibus. Cæterùm, in omnibus signis & malis quæ hactenus proposuimus, infantibus quidem & iunioribus, clementiora medicamenta, grandioribus verò, & natu maioribus, validiora ac efficaciora exhibere conueniet.

cæ propinquantium.

Auxilia affectũ vesicæ.

Incommoda sequẽtia neglectam curationẽ vesicæ affectæ.

Aduertenda & notanda.

ADMONITIO.

Svnt in Græco exemplari (cuius paraphrastem veriùs quàm interpretẽ me præstiti) alia aliquot hîc omissa, de seruãda victus ratione per quatuor anni cardines & tempestates. Quæ, quia parũ congruere noutmus ad hanc septentrionalis cœli & soli nostri inclinationem & clima, idcirco hîc omittere nobis visum fuit.

Cur autor ad finẽ græci exemplaris scripta quædam consulto omiserit.

DE SYRMAISMO, ET RATIONE purgandi per vomitum, ex Aegyptiorum inuento & formula.

Via in superiore Epistola ad Antigonum Regē, Diocles medicus doctrina & antiquitate celebris, Syrmaismi mentionē facit in morbis thoracis, quædam ex Ioanne Langio medico & philosopho præstantissimo in medium de Syrmaismo producam.

PLutarchus autor grauissimus, in Dialogo cui titulus, Quòd bruta ratione vtantur, Gryllum quēdam ad hunc modū loquentem introducit, τοὺς μὲν γὰρ Αἰγυπτίους πάντας ἰατροὺς ἀκούομεν εἶναι. quod est, Audimus quidē Aegyptios omnes medicos esse: Nempe qui in omni philosophia & magiæ naturalis sapiētia & vetustate omnes vniuersi orbis incolas longè superarunt. Qua primi non herbarum modò & radicum, gemmarum, astrorum, &, vt verbo dicam, omnium terræ nascentium vires, sed etiam rerum cœlestium, diuinarumq; causas, & præcipuè morborum, omni solertia scrutati sunt. Nec temerè, quid enim prodest ægrotis medicus, vt tradit Polybius, qui effectuum corporis causas ignorat? nihil sanè. Proinde cùm Aristoteles graui morbo decumberet, medico suo multa vetanti, & nō pauca citra morbi causam edicenti, scitè, atq; eleganter fertur respōdisse: Ne me cures vt bubulcum, vel fossorē, sed priùs morbi causam edissere, sic me præceptis tuis morigerū facilè reddideris. Sed, vt ad Aegyptios redeamus, illi, Diodoro Siculo autore, asserunt ex cibariorum luxu & crapula omnes oriri

Vide Platonem in Timæo, & Eusebium de præparatione euangelica.

Polybius libro secundo & tertio historiæ. Et Aelianus lib. 9. cap. 23.

Lib. 2. suę Bibliyothecæ.

oriri morbos. Eos igitur ieiunio, aut vomitu, idq; quotidie, vel tribus aut quatuor interiectis diebus, inanitione, vt Hippocrates quoq; edixit, curare oportere. Id quod Herodotus quoque in Euterpe affirmat: apud Aegyptios, inquit, adeò erat frequens vsus clysterum, vt quouis mense triduò se purgarent vomendo, & intestina sanitatis ergo clysmate eluendo. Quod ab Ibide volucri Ciconiæ simillima, et à canibus didicerant: qui vt Claudius Aelianus tradit, dum lumbricis infestantur, segetem herbescentem depasti eos egerunt: cùm verò alterum vetrem exonerare volunt, herbam quandam gramini canario similem arrodere dicūtur: cuius viribus partim vomendo, partim per aluum bilem æruginosam et quicquid in vtroque eorum ventre redundat exonerant maximo eorum commodo. Vnde etiam Aegyptios Syrmaismum, quo canes vtrumq; ventrem expurgant, didicisse, idem Aelianus refert: & ob id beneficium, Canes sub Anubis nomine adorarunt. Cùm igitur Aegyptus non tantùm nili effluuio, sed præclaris etiam philosophorū, quos magos dicunt, & medicorum quoque ingenijs fœcunda, per totum terrarum orbem celebraretur, ad illius arcana doctrinæ & sapientiæ præcepta capessenda, Democritus Abderita, Pythagoras & Plato in Aegyptum appulerunt, & Aegyptiorum dogmata in Latium, aut, si mauis veterem Græciam attulerunt. At Democritus Chaldæos etiam inuisit, & Babylonem ingressus magos, & postea Indorum gymnosophistas salutauit: A quibus sapientiæ, medicinæ, & rerum occultarum thesauris onustus, tandem in Græciam rediit, & Hippocratē, cum quo diu familiariter

Aphorismo 22. sectionis secundę.

Aelianus libro 5. cap. 46. & lib. 8. cap. 9. de animalibus.

Vide Herodotum & Diodorum.

Lege Eusebium lib. 10. cap. 2. & Cic. li. 5. de finib.

riter vixit, præter alia multa, Syrmaiſmũ Aegyptiorum, vt par eſt credere, docuit. Cuius vſum ille idem Hippocrates in curatione fracturæ aurium his verbis comprobat, ἢν δὲ πρὸς ἔμετον ἐπιτήδειος ἔῃ, ἐμέειν ἀπὸ συρμαισμοῦ, id eſt. Si patiens ad vomendum pronus fuerit, vomere illũ â ſyrmaiſmo finito: taliter enim, inquit Galenus, leues & mediocres alui deiectiones, vel euacuationes per vomitum veteres appellarunt: quas varijs proritabãt pharmacis: Nẽpe melle affatim deglutito, aqua mulſa meraciore, ſucco ptiſanæ ex aqua per ſe, vel cum melle decocto: & ijs efficacioribus, ſurculis veratri albi in raphanũ defixis: vel raphanis ſolis poſtero die ex aceto mulſo comeſtis: nec verò tantũ lentoris habet, quãtùm raphani ſuccus, aut bulborum narciſsi, qui vomitũ quoq; prolicit. Non temerè igitur Diocles Antigonum regem admonet, vt ægritudines thoracis imminentes, ſyrmaiſmo præueniat. Quod attinet ad ſyrmaiſmi etymum, ἀπὸ τοῦ συρμαΐζειν deduci videtur, quod, autore Suida, purgare per vomitum & aluum ſignificat, & pharmacum, quod id operatur, συρμαίαν dixerunt. Sed de ſyrmaiſmo, & purgatione per vomitum hæc in præſentiarum ſatis erunt.

Hippocrates lib. 2. de articul. & Galenus ibidem.

Vide Comment. Gal. de tract. oſſiũ, & Paul. Aegi.

Lege in Lexico Suidæ & Phauorini.

ARNAL.

ARNALDI A VILLANOVA, MEDICI PRAESTANTISsimi, Consilium ad Regem Aragonum de salubri hortensium vsu.

De salubri vsu Olerum.

Oleris nomine hîc intelligimus, plātas eas, quę in vsum coquinæ veniunt, vt ex illis parentur iuscula, fercula, cōdimenta & similia, siue sint herbæ, vt caules, lactucæ, spinacea, betę, & alię: siue fructus plātarum, vt cucurbitæ, cucumeres, cinaræ, melones, et huius plumæ alij: siue radices esculentæ, vt cepę, porra, raphania, ilia, et similes. Imprimis itaque moneberis, quòd temperato corpori & euchyno oleribus vesci non expedit, præsertim crudis, lactuca & portulaca exceptis. Quibus per æstus & calores immodicos, mediocriter vti conceditur, ad placandum & temperandum sanguinis, ventriculi & hepatis incendium. Quo tempore, ante alia fercula, ex pauco aceto rosacea aqua defracto, sumi possunt. Sed amaræ lactucæ ijs maximè vitari debent, quorum corpora calido temperamento sunt prædita. Borrago & buglossum domesticum, omni tempore congruunt, propter temperatam eorum facultatem: sed

Quid hîc per olus intelligēdum.

Cruda olera corporibus temperatis noxia.

Borrago & buglossum quibus congruant.

ſed his imprimis quorum aluus pigra eſſe ſolet. Nec ineptè fiet, ſi ad tollendam illorum aſperitatem, nonnihil tenerrimorum ſpinaceorum, vel blitorum, ſed nequaquam rubeſcentium, vnà decoxeris: & ſi æſtas aderit, lactucam adieceris, vel portulacam, aut atriplicem, vel betam: Si verò hyems vigebit, naſturtium, petroſelinum, vel pauca menthæ folia aut alborũ caulium cymas & oculos. Spinacea & bliti, quia temperamento inuicẽ propinquant, mixtim vel ſeparatim ſumi poſſunt, qualibet anni parte, modò quæ tempori congruent, illis adiungantur: vt æſtate, lactuca dulcis, portulaca, atriplex, & cucurbita: hyeme, naſturtium, vrtica tenera, petroſelinum, caules rubri, aut criſpi virides. Albi caules quorum latæ ſunt coſtæ & brachia cum leni folio, vtiliter ſumuntur æſtate & autumno, ſi in arido ſolo & vmbroſo loco educati fuerint: ſed omnium maximè eorum ſummitates & tenerrima capitula probantur, abiectis magnis & latis folijs. Aſparagorum teneritas præbullita verno tempore locum habere poteſt. Verumenimuerò, in horum omnium vſu tria obſeruare conuenit. Primùm, vt reijciantur quæuis olera, dum ad florem feſtinant. Alterum, ne cum lacte animalium condiantur: nam ita immodico vapore, calida corpora & temperata offendunt. Itaque in carnium, & omnium maximè gallinacearũ iuſculo, vel cum amygdalino lacte, aut oleo dulci & recenti, perappoſitè ac ſalubriter condientur. Quod attinet ad cucurbitas, ſatagendũ erit, vt pro animaliũ lacte, amygdalinũ illis adhibeas, ne renibus & veſicæ noceant. Nec inſalubre erit, comites eis etiam dare albas & rotundas cepas, ne inteſtinis quidpiam

Spinacea & Bliti, cum illorum vſu.

Caules albi.

Aſparagi.

Tria ſummè obſeruanda in olerũ vſu.

Cucurbitæ.

piam detrimenti adferant: adhæc pulueri cinnamomi conſpergere, ne ventriculo officiant. Tertium in vſu olerum obſeruandum id eſto, vt ante alia fercula ſumantur, exceptis caulibus, qui ſub finem menſæ locum habere poſſunt, ob quandam ſtipticitatem, vt ita dicam, & nitroſitatem, qua ſunt præditi, maximè criſpi, virides, ac rubri. Si autem excluſa eorum ſubſtantia, ſolum iuſculũ haurire perplacuerit, omnium primũ, hoc eſt paulò ante cibos alios, agendum id erit: ob manifeſtam laxandi & aperiendi facultatem qua pollet. Quod ſi vtrumque vnà ſumere viſum fuerit, nimirum & iuſculum & caulium carnem, ſedulò obſeruabis, ne ventriculo negocium faceſſas, & ciborum coctionem præpedias, ob contrarias facultates. Expedit itaque ad id incommodi depulſionem, vt ante præſcriptam eorum conditurã & coctionem præbulliant; aut aqua feruens ante cocturam illis aliquoties ſuperfundatur: vel ex ijs iuſculum initio paſtus hauriatur, & in fine herbacea ſubſtantia.

Caules ſub finẽ menſæ locũ habere.

De vſu cauli um pulchra & notatu digna.

De ſalubri vſu Radicum Hortenſium eſculentarum.

Radices hortẽſes quibus ſolemus veſci, ſunt porri (aut ſi mauis porra) cepæ, allia, raphani, rapa, napi, paſtinacæ, & ſiſera. A primis quatuor debent prorſus abſtinere qui calido ſunt temperamento, maximè ſi cruda fuerint. Sed hyemali tempore, in iuſculis & cibario vſu nequaquam prohibentur: præterquam his qui fluxui pulſantium hæmorrhoidum ſunt obnoxij, vel ex-

Hortorũ radices eſculentæ.

Porrorũ, cepparũ & alliorum vſus.

extemporaneæ insperatæque illarum eruptioni. Quanquam minùs periculi ingruere solet ab albis cepis, modo præbullitæ fuerint, & ex eis factum sit, vt vocant, Cepulatum, cum optimis carnibus, aut dulci oleo: in quibus prætermittere nunquam licet, amygdalinum lac. Veruinenimuerò quia tale ferculum ventrem solet soluere, idcirco principio mensæ & ante alios cibos sumi debet. Oblongæ cepæ, rubentes ac rotundæ, nullum in his locum agnoscunt. Rapa dulcia, & napi tenerrimi, cum carnibus, absque melle, pipere, & cimini aut carui semine decocta, sic satis probantur, etiam si nullo condiantur sapore. Quòd si aliquo oblecteris, abundè erit cariophylum addere vtcumque tusum, vel Zinziber, cinnamomúmue aut crocum: Sic enim meatus vrinales aperient, aluum remollient, & visui proderunt. Pastinacæ, præsertim albæ, sub feruentibus cineribus aut in iusculo cum carnibus elixatæ, salubriter sumi quandoque possunt: nam & ventri, & vijs vrinarijs eadem præstant auxilia cum præcedentibus: modò prima mensa, vt antea scriptum fuit, exhibeantur. Sisera nobis vulgò, *Cheruis*, dicta, hyeme & vere corporibus euchymis impunè sumi possunt frixa, & vt par est, condita. Sed si caput, thorax, aut pulmo defluxione, vel rheumatismo tentarentur, illis abstinendum esset: quoniam humido capiti & pulmoni summè nocent.

Cepulatum.

Rapa & Napi.

Pastinacæ.

Sisera quibus prosint.

De salubri vsu Leguminum.

Legumina euchymis & temperatis corporibus non congruunt, quandiu integra fruuntur

tur ſanitate. Quapropter vitanda eſt eorum ſubſtantia, & maximè ſiccorum. Si tamen viridium & recentium vſus cuipiam expeteretur, conſentaneum erit vt cum Zinzibere & croco exſiliquata decoquantur, & ſub finem lacte amygdalarum dulcium condiantur: niſi ſatius eſſe duxeris fieri id cum iuſculo pinguium carnium, excluſo lacte amygdalino. Fabæ, piſa & cicera, de omnibus leguminibus minus noxia habentur euchymis corporibus: omniumque minimum piſa, quæ albo & rotundulo ſunt corpore. In ſumma, quæcunque ex Leguminibus ſicca erunt, abſq; carnibus parari debent, addita cera alba & rotunda, minutim conciſa: tum demum in oleo dulci, vt decet, frigi, & amygdalino lacte condiri: præcipuè ſi ex freſa faba ferculum parari debeat. Legumina quæ cum animalium lacte in vſum veniunt, prorſus fugienda ſunt. Verùm per eſuriales illas & longas ferias (vulgus Quadrageſimam vocat) in quibus obſtruentium alimentorum & ſaburrantium quamplurimi larga copia vti ſolent, vt piſcium, polentarum, & ſimilium, tunc temporis precium operæ fuerit ad tuendam valetudinem, prima menſa interdum haurire iuſculum piſorũ, aut cicerum depuratorum, quod populares Puretam nuncupant. Quæ nihil aliud eſt, quàm decoctum id, quod priſci medici ſummoperè laudarunt, & ad hunc apparauerunt modum. Macerantur per noctem piſa vel cicera in aqua dulci: poſtridie ebullationibus aliquot blandè ferueant: colatura mundo vaſe excepta, appetente hora paſtus cum vini albi tantillo, & pauco ſpicę nardi puluere, nec non mediocri ſale & croco,

Viridium leguminum vſus & conditura.

Fabæ, piſa & cicera.

Legumina cum animalium lacte cocta, fugienda

Iuſculum piſorũ ſeu pureta, quo modo antiquis parabatur.

vnica ebullitione rursus feruet, ac tum demum prima mensa hauritur. Iusculum id aperit ac deterget capillares venulas hepatis, & vrinæ vias emundat, vnde corpora à calculo & arenulis eximiè tuetur & præseruat, maximè si præmollita fuerint pisa, aut cicera, in aqua decoctionis radicum petroselini, & ibi, quo dictum est modo, per cocta. Populares falluntur in eo, quòd sibi persuadent idem commodi esse in iusculo cicerum maceratorum & remollitorum in lixiuio. Nam sic tota substantiæ tenuitas & subtilitas ab illis separatur.

Pro calculo & arenulis.

De salubri vsu fructuum, tam arboreorum, quàm herbaceorum.

FRuctuum vsus non conuenit euchymo corpori & téperato ratione cibi, sed potius medicamenti: fructibus itaq; moderatè vti cōuenit, obseruato semp cōmodo, & incōmodo, quod ex eorū vsu pendet. Nā ad voluptatē non sunt sumēdi, quin potius ad vtilitatem & salubritatem. Itaque, qui illis pro alimento vtuntur, debent quali bet anni parte consideratè prospicere, in quæ detrimenta possint incidere, cùm ex ea cœli & aëris constitutione quæ tunc sese offeret, tum ex alimētis & rebus quæ in aëre, qualisqualis erit, educabuntur & vigebunt. Cæterùm, quia æstiuo tempore & calido sanguis facilè incenditur, autumno verò siccescit, idcirco per ea tempora liberum est frigidis & humidis fructibus vti, ad contemperandum sanguinem. Insuper quia per calores membra corporis rarescunt, & hinc reseratis eorum

Fructibus prudenter ac moderatè vtendum.

Frigidis & humidis fructibus quādo vtendum.

rum ſpiraculis facilè effluit natiuus calor vnà cũ ſuo ſpiritu, ob id tunc temporis vti conceditur fructibus moderate adſtringentibus: quales ſunt ſubacerbi, auſteri, & ſtiptici vulgò nuncupati. Quo etiam caſu congruit acidorum vſus, ad internum æſtum frangendum, aut ſaltem leniendũ. Adde quòd aeris ſiccitas ſæpenumerò aluum reſiccare ſolet: quò fit, vt æſtate humectanda ſit vſu fructuum dulcium & humidorum. Quorũ præſidio conciliari etiam poterit ſomnus, qui plærunque à ſiccitate præpediri conſueuit. Iuuabit denique eorundem vſus, ac ſummè proderit ad ſitim placandam, & hepatis, cordis, nec non oris ventriculi æſtum per ea tempora leuandum.

Quãdo vtendũ fructibus acidis, aſtringentibus, humidis ac dulcibus.

His diligenter animaduerſis, facilè, vt opinor, colliges vſum fructuum, quo dictũ eſt modo ſelectorum, æſtate feruida, & ſicco autumno nequaquam prohiberi. Quod ad ſanitatis conſeruationem attinet, pro canone, ceu rata ſententia habeto, fructibus nunquam eſſe vtendum, ſiue crudi, ſiue cocti erunt, donec in ſua arbore perfectam ſecuti fuerint coctionem & maturitatem, ſi quidem id fieri poteſt. In his mora excipiuntur, quorum vſus probatur antè quàm ex integra maturitate nigreſcant. Nam tum ſanguinem inficiunt, & ad putredinem viam ſternunt, excitántque bubones, carbunculos & antraces. Ob id in regionibus calidis & humidis, eo anno quo talium mororum frequens eſt vſus, epidemici morbi, populares & peſtiferi, maximè vigere ſolent: niſi fluxionibus alui impediantur. Abſtinendum eſt à fructibus, quoties in illis vermes cumulatim gignũtur, aut fructus ipſi internè tabeſcunt. Quod inde cognoſcitur, quia parte interiore natiuum colorem

Fructibus ante perfectam maturitatem nunquã vtendum.

Mora.

Vermiculoſi fructus fugiendi.

rem

rem deponunt, & genuinam pulpam nequaquam præ se ferunt. Quo fit, vt tales fructus, quotidianas febres, & continuas ac putridas, comites plerumque habeant, & frequenter generent: nisi fortè illorum cruditas & corruptela, soluta, aluo pessum eat, aut copiosis ex sudore laboribus, vel aliter, à corpore excludatur, aut per vrinas opportunè eluatur & effluat. Obseruandum insuper erit, ne simul diuersi fructus sumantur: quantumque fuerint in suis naturis & qualitatibus propinqui. Vt si contingat prunis vesci dulcibus ad mouendam aluum non expediet vna cum illis vti cerasijs: quin potius his, aut illis, simpliciter, prima mēsa, & pauco ante alia fercula tempore. Sic in ficuum & vuarum prouentu, non licet vtrisque simul vti, quamuis valde prosint excretioni alui, sed alteris duntaxat seorsum & particulariter: veluti recentibus ac maturis ficubus, quo dictum est modo, tempore, & loco. Quæ vt efficaciter prosint, & aluum optimè subducant, iusculum desuper hauriendum erit, vel alius quispiam liquor idoneus. Verùm, biliosis omnibus, nec non ijs quibus hepar cum ventriculo calidum habetur, tutius erit frigidam superbibere: reliquis verò vinum adprimè dilutum. Quòd si illosinet effectus vna sumi debuerit, sedulò cauendum erit, ne id fiat inter epulas, sed longè antè: præsertim si recens & exactè matura fuerit. Nam sic flatus, & ventosa tormina non solùm promoueret, sed etiam ebullitionem, & nescio quam ciborum fermentationem, vnà cùm ventriculi subuersione, perturbatione & coctionis impedimento, moliretur. His accedat, quòd vuis

Diuersos eadē mēsa fructus non debere sumi.

Vt ficus prosint & aluū subducant.

De vuis & earum vsu salubri.

vuis sumptis, vinũ desuper nullo modo est hauriendum: quin potius iusculum, aut aqua frigida. Si tamen inter fercula liberet vuam manducare, sit illa dies aliquot antè decerpta & adseruata. Id quod fieri si minus possit, in feruentem aquam demittatur, & tum demum superfusa frigida, mensæ apponatur. De persicis, anteperficis, & similibus molli cute & carne præditis fructibus, idem ferè sentiendũ erit. Nam Persica sumũtur initio mensæ & primo eius vestibulo, ad mouendam aluũ, & ducendas deorsum fæces: ijs maximè quibus calidũ & siccũ est hepar: sed tunc nõ expedit ficus sumere, quæ magna scatent humiditate. Nocẽt verò, vt etiã aquosi & frigidi fructus omnes, ijs quorum viscera frigida habẽtur & humida. Si tamen & his & illis vti visum fuerit, aliquantisper præmacerari debẽt in vino aliquo generoso, si eadẽ die ex sua arbore decerpta fuerint. Quæ biduò, vel triduò post collectionem, Soli exponentur, longè sapidiores ac salubriores gustu esse deprehendentur. Cæterum, si cui calida habenti viscera, notabili quantitate ficus edere visum erit, ei sanè quàm optimum fuerit durioris carnis persica, vel anteperfica, aut odorata & permatura mala antè manducare: æstate cruda, hyeme verò cocta. Ex ficubus præstantissimæ habentur, quibus rubicunda est pulpa, & sapor subacris, censenturq; vtiles esse iuuenibus, & calido temperamento præditis corporibus.

Pulchra de vuis & obseruatu digna.

De Persicis & eorũ vsu.

De ficubus notatu digna.

Quæ hactenus scripta sunt, ad eos quoque fructus referri possunt, qui ad temperandũ sanguinis æstum & feruorem sumuntur, cuiusmodi sunt cucumeres & melones: præterea qui ad placandum bilis acrimoniam & eius incendium restin-

Admonitio.

ſtinguendum offeruntur, vt facere ſolent acidi fructus & frigidi. Sed hîc nequaquam eſt omittẽdum, nec item obliuiſcendum, quòd cucumeres, melones & citruli vna ſumi non debent. Qui ſi fortè ad menſam apponentur, parum ex eorum pulpamento licebit deguſtare, idq; ante cibos alios. Quod iuuenibus & his quibus calida ſunt viſcera, præceptum erit. Quanquam, æſtiuis caloribus, & per κυνοκαύματα non incongruè, nec inſalubriter ſub finem cœnæ ab iiſdem ſumi etiam poterunt: vt diaphragmati & ſuperioribus corporis partibus, ob præcedentem diei feruorem æſtuantibus, perfrigerium aliquod accerſatur: maximè vbi ſomnus paulò pòſt ſequi debet. Hinc nimirum facilè potes colligere, cur perſica, vel vt legunt alij, citria, ſub finem cœnę ſumpta, plus proſint, quàm initio eiuſdem, licet aquoſi & humidi ſint fructus, nimirum quòd ſquallorem, & partium corporis ſuperiorum æſtum mitigent, & ſuauem ſumnum procurent, grauesq; halitus & fumos à præſumptis cibis elixis, vel aſſatis, & acribus eorum condituris excitatos, dum ex ventriculo & hepate ſurſum volare, & cerebrum petere ſatagunt, deorſum redire, & veluti poſito deſuper operculo, intra proprios cancellos ſeſe cõtinere cogantur. Vtilius nihilominus eſſet, ad æſtum ſanguinis leuandum, cucumerum quo decet modo apparatorum, aut peponũ, melonumue pulpam & ſubcutaneam carnem longè ante cœnam ſumere: in fine verò, perſica, vel potius citria, vt anteà diximus, aut granata, ſelectáue poma cruda, cum tantillo panis: vel candentibus cineribus priùs expoſita, & perfrigerata. Acidi fructus & ſubauſteri qui ad extinguendum, vel obtun-

Melones citruli & cucumeres.

Obſeruatu & notatu digna

Cur humidi fructus, ſubacerbi & acidi mẽſas claudere debeât.

Pulchra & notatu digna

Acidi fructus & ſubacerbi

obtundendum flauæ bilis incendinm, ad prori-tandamue & excitandam ciborum appetentiam sumuntur, longè antè prandium exhiberi debēt: cuiusmodi sunt cerasa subacida, aut mora semi-matura. Sed siue initio mensæ præsumantur, siue longè antè exhibeantur, nihil est superbibēdum. Nisi fortè metueres ne ab eorum aciditate, vel a-cerbitate offenderetur guttur, aut stomachus, vel spiritalium membrorum quodpiam: Tunc enim consultum esset, nonnihil iusculi, vel vini aqua refracti, aut facchari optimi, ilico pòst su-mere. Monendi itaque sunt qui ieiuno ventricu-lo citria mala, aut limonia, vel granata acida, vel quid tale accipiunt, vt id nunquàm tentent, quin prius illis ad manum sit præstantiss. saccharum. — *quando vti-les.* — *Admonitio nequaquam negligenda.*

Quòd attinet ad comprimentes & adstringentes fructus, plurimi sunt ex eis qui attingi minimè debent. Vnde sumptis pyris abstinendum est à cotoneis, & cotoneis acceptis, longè ablegandā sunt sorba, vel mespila, & contra. Verumenim-uerò, inter comprimentes & astringentes fructus non paruum est discrimen. Nam quidam compri munt sola substantiæ grauitate & pondere, vt crudę auellanæ: alij verò propria facultate quam habent constringendi. Rursus adstringentium & comprimentium nonnulli debiliter astringunt, & austeri dicuntur, qualia sunt pyra multa: alij fortiter, vt sunt cotonea, sorba, mespila, & degu-stu similes fructus alij. — *De fructibus astringenti-bus & acer-bis.* — *Fructuum a-stringentiū varietas.*

Sunt prætereà ex his quidam odorati & aro-matici, alij nequaquam: quidam dulces, alij mini mè. De astringentibus id in summa habeto præce-ptum. Si sola grauitate comprimant, & non pro pria facultate aggregandi comprimendíue partes

membrorum quibus obuiant, nec odorati sunt aut dulces, nequaquam sumi debent, maximè ab ijs qui temperato suntcorpore & calore. Ob id recentes auellanæ, vitandæ sunt, licet assumptum cibum cogant descendere. Nam dulcedine carent, stomacho sanè quàm grata: nec odoratum habent quidpiam ad fouendos & recreandos spiritus: nec apertam adstrictionem, qua roborent partes ventriculi. Quo fit vt ei censeantur infestæ auallanæ recentes. Siccæ minùs nocēt, quia minùs frigidæ. Quæ si vel tantillum torreantur, multò minùs officient: sicenim & dulcorem, & adstrictionem quantulamcunque induunt, quâ prodesse possunt, perinde atque castaneæ, quando probè assatæ exhibentur in cibum. Hinc nimirum fit, vt postremæ sumptæ, mensas claudendo, ventriculi orificium bellè firment ac roborent: præsertim si in præstanti vino prius demersæ fuerint. De fructibus acidis & astringentibus hæc rursus particularia habeto. Si dapes inchoent & mensas aperiant, aluum comprimunt: si verò postrema mensa, hoc est omnium vltimi exhibeantur, laxabunt & soluent: Nam vbi illi fercula alia præcedunt, inferiores partes, quas obuias habent, stringunt & comprimunt. Quo fit, vt cibariorum fæces & excrementa per restrictos meatus & tubulos ægrius descendant, ac difficilius extrudantur. Dum verò cibum sequuntur, contrarium moliuntur: nam supra fæces vias stringunt, & cō primendo cogunt illas deorsum properare. Adstringentia, pontica & acerba nunquam sumenda sunt cruda, nisi fuerint condita, vel diuturna in

Cur recentes auellanæ sint stomacho infestæ.

Castaneæ & earum vsus.

Fructus astringentes quando exhibendi.

na in sua arbore mora, vel legitima adseruatione & repositione adstrictionē acerbitatē ue deposue rint. Omnia enim pontica, acerba & acida, grauiter offendunt thoracis membranas & musculos. Idcirco cydonia mala, & pyra, pomáue acerba, antè quam comedantur, debent ex pingui carniū iusculo coqui, vel vnà cum carnibus in pastillum componi: nisi satius tibi visum esset, illa in feruentibus prunis, vt moris est, assare, & depellata, ac saccharo, aniso, vel fœniculo conspersa, manducare. Poteris etiam in clibano torrere, quod multis gratissimum est: ne foculi cineribus, plærunque immundis, vitientur: aut fumi tetro vapore aliquo imbuantur. Sunt qui nobili vino incoquant: sed eo modo potentius astringunt, quàm si pingui carnium iusculo decoquerentur. Sorba & mespila, quæ rarò in sua arbore maturescūt, longa post collectionem mora natiuam deponunt acerbitatem. Idcirco si quis vrgēte necessitate, vel imperante voluntate, mespilis vti cogatur, assari, aut mero incoqui debent, vt acerbitatem exuant. Alij fructus pontici dum condiuntur acerbitatem & acorem vtcunque deponunt: sicuti probare licet in acerbis & immaturis oliuis, dum in suo nataut iusculo, & ob id à Græcis, κολυμβάδες nuncupantur. Adhæc in nucibus iuglandibus, dum in suo condimento degunt. Nam eo pacto moderatè exacerbantur, & parum lędunt. Sed id minùs in oliuis, quàm tenellis iuglandibus apparet: quoniā absque melle, vel saccharo illæ cōdiuntur: ob id parcius ac rarius in cibum sumi debent. Astringentes fructus, humidi & succosi, plus congruunt siccis temporibus, vt æstate & autumno,

Sapores thoraci & eius partibus infesti.

Quomodo apparanda in cibum cydonia, pyra, & poma acerba vel acida.

Sorba & mespila.

Immaturæ oliuæ & nuces.

quàm hyeme. Sicci verò & humiditatis expertes, si quidem dulces erunt, hyeme & vere opportuni aderũt: cuiusmodi sunt dactyli & castaneæ: habẽt enim dactyli omnes nescio quid astringentis facultatis & saporis. Si autem cogeret necessitas, hyeme & vere vti fructibus, ad emolliendã aluũ, perappositè postrema mensa apponerẽtur dactyli, vel vuæ passæ cum suis vinaceis & granulis: modò nihil superbibatur. Idem fiet, si pastus initio siccæ ficus absque pane manducentur: in fine verò, dactyli vel oliuæ: post quas etiam vuæ aliquot passæ, excluso potu, non ineptè offerentur. Quod si succosi fructus tunc temporis cuipiam arriderent, qui inter eos nocentiores habentur, vitari debebunt: vt sunt brumales vuæ: nam renibus, vesicæ, & intestinis summè incommodãt. Deniq; si liberet mensæ initio & præludio quidpiam succulentum præsumere, quod aluum ab incrementis expediat, sanequàm accommodum huic rei sese offeret dulce & odoratum pomum assatum, vel in vino coctum, & vbi refrixerit ex multo saccharo, eoque albissimo, commanducatum. Vtile insuper erit in eandem rem brumales vuas albas in feruẽtem aquam demersas, & mox frigida desuper affusa, exemptis vinaceis & seminibus internis commedere. Si verò succosis fructibus astringentibus & comprimentibus in fine pastus, vti visum esset, cuiusmodi sunt pyra q̃dam, sumenda erunt cum vetere caseo electo & friabili: vel candenti foculo assabuntur, & pelle exuta, vino immergentur, ac ita comedentur. Sed ab eis sollicitè cauebunt, qui torminibus & articulorum cruciatibus sunt obnoxij. Quòd ad oleaginosos fructus attinet, vt sunt amygdalæ, nuces,

Fructus ad alvũ ducendã quando & quomodo sumendi.

Pulchra & notatu digna de subducentibus aluum.

Astringẽtes fructus quomodo in fine pastus sumẽdi.

Amygdalæ nuces & pineoli nuclei.

nuces, auellanæ, pineoli nuclei, pistacia, & similes, si crudi & recentes edantur, ventriculum offendent. Sed amygdalæ, nuces & pistacia minùs lædunt recentia quàm siccata. Auellanæ verò & pineorum nuclei contrà: nam plus nocent recentes, quàm sicci. Vnde corporibus temperatis, & omnibus quorum natura ad caliditatem inclinat, crudis & recentibus huiuscemodi fructibus vti non expedit: quòd plus obesse, quàm prodesse queant. Possunt nihilominus tenellæ ac recẽtes amygdalæ, ventriculi æstum opportuno tempore: vtcunque mitigare: vt siccæ, vini vapores ne sursum euolent & caput offendant præpedire, si mensas clauserint. Nuces recentes vt etiam siccæ, non solùm stomachum lædunt, sed etiam visum & caput grauiter tentant: Habent nihilominus id commodi, quòd à flatibus & piscium viscositate corpus egregiè tuentur. Auellanæ sua natura hepar sic satis roborant, sed stomacho & capiti officiunt. Pineorum nuclei, etsi de omnibus stomacho summè aduersantur, sunt tamen paralyticis valde vtiles, & omnium maximè pulmonarijs, quibus thoracis interiora à pituita prægrauantur, & ob id ægrè spirant, & molestè pituitosum mucum expectorant. Pistacia frigido hepati & stomacho efficaciter prosunt, minusque noxę, præ alijs iam positis, in corpore relinquunt: verum tamen capiti incommodant. Si autè dicti fructus, generoso melle, aut saccharo fuerint excepti & accuratè conditi, minùs negocium ventriculo facient, sed temperatis corporibus & euchymis nocebunt, quòd ad voluptatẽ potiùs quàm vtilitatem condiantur.

Amigdalæ recentes.

Nuces recentes & induratæ.

Auellanæ & pineorum nuclei.

Fructus adõ voluptatẽ conditi, potiùs quam ad vtilitatem.

Hæc ab Arnaldo Villanouano accepta, & in tuum vſum velut paraphraſi quadam congeſta, ſed paulò terſius, (quod abſque calumnia, & iactantia dictum habe) ſi boni conſulueris, mea ad meliora tibi propediem ex vmbra in lucem proferenda, alacriter & perſtrenuè excitabis, ac promouebis.

ANTONIVS MIZALDVS LECTORI S. D.

Rogatus à Typographo, vt confeſtim, aut ſi mauis me Græcè dicere, ἐκ τοῦ παραχρῆμα, paginas aliquot vacuas, ſcripto quopiam et replerem, ne fortè Prætoris albo, vt iactari ſolet, aſcriberentur: ego hoc ipſo præcipiti & momentaneo temporis articulo, ſummè, ſi aliàs vnquam, occupatus, ad externa præſidia, & auxiliarem operam confugere fui coactus. Mihi itaque, velut Deus quiſpiam ad machinas, præſto adfuit, & ſanè quàm libenter ſuccurrit doctiſsimus, & in omni parte medicinæ exercitatiſsimus vir, Ioannes Langius, illuſtriſsimorum Comitum Palatinorum Rheni medicus: cuius erudita confabulatione, vel vt planiùs loquar, lectione, tunc temporis periucundè fruebar. Ille itaque ex tempore medicam Epiſtolam, & Problema ſequens, De ſalubri vſu caſei (de quo tam varia eſt apud Medicos deceptatio) Typographo mittendum mihi candide exhibuit. Cuius hæc eſt quæſtio.

An ca-

AN CASEVS EDENDO sit salubris.

INdicta mihi erat per Cyrlerum nostrum cœna, inquit Lãgius, & quum iam secundæ mensæ bellaria apponerentur vnà cum caseo, tum, Philippe, honorifica certe tui ac famuli tui facta fuit mentio: qui tibi edenti caseum de manibus eripuisset. Aderant inter conuiuas, qui famuli audaciam admirabantur. Alij verò qui eius fidelitatem collaudabant: qui non passus fuisset, vt dominus suus ventriculum cibo praui alimenti, & ad coquendum contumaci, oneraret. Tum ego rogatus respondi: me suspicati famulum fuisse de vulgari illa medicorum hæresi, qui aliorum ventriculos suis viribus metiuntur, & medicamenta non Socrati, aut Philippo, sed vniuersali hominum in mente ideæ accommodarent: ignorantes naturam ventriculorum ita diuersimodè esse comparatam, vt hic natura incalescens, esculenta crassa & coctioni contumacia, exactè conficiat: tenera verò adurat, & in nidorulentam eructationem conuertat. Accedit ad hoc quòd esculentorum & potius concoctio non tantum caloris naturalis viribus, sed proprietate quadam bestijs hominibusque congenita (vt Galenus refert) perficiatur. Sic hac ratione Struthiocamelus volucris digerit & concoquit ferrum, & reliqua metalla igni inexpugnabilia, quæ Leo, Sthruthiocamelo longè calidior, concoquere non potest. Puella à rege Indorum Alexandro fraudi veriùs quàm muneri missa, napello impunè

Galenus lib. 2. de alimen. facult.

vescebatur. Coturnices semine hyoscyami & veratri pinguescunt: Sturni cicuta aluntur, quæ homini, cæterisque animantibus venena sunt deleteria. Hac quoque ratione accidit, vt hominum ille nõ vescatur caseo, alter abstemius viuat: Quo tamen caseo, Zoroastes, artis magicæ inuentor, viginti annis in deserto vixisse traditur, ita temperato vt vetustatem non sentiret. Quod ficcis dracontij folijs effici docuit Galenus: quibus recens implicitus à putredine immunis seruabatur. Proinde Hippocrates prudenter, vt cætera omnia, nos in libro de vetere medicina his verbis admonet: Non simpliciter, inquit, existimare oportet, quòd malum edulium sit caseus: non enim omnes homines lædit, imò gracilibus mirabiliter conferre traditur. Nec obstat quòd aliqui caseum crassi & viscidi alimenti, quo epatis, renum, venularumque obturentur meatus, ac arenulæ in renibus ac vesica, veluti calce agglutinentur, vt in calculum coalescant, causantur, & passim opponunt.

Lib. 6 simpl. medicam.

Nec id, Philippe, te à casei esu deterreat: moderata quippe salis conditura hæc casei incommoda corrigit, quæ humorum lentorem incidit, friabiles reddit arenulas, meatuum obstructiones referat, neruosum ventriculi osculum roborat, appetitumque eius languentem sua acrimonia excitat, & nauseam sistit. Ob id non temerè veteres salem irritamentum gulæ vocarunt. Quod & columbæ apprimé norunt: quæ, vt refert Plinius, pullis primo salsiorem terram collectam gutture in ora spuunt, præparantes tempestiuitatem cibo. Nec quoque te Galenus in libro de boni malique succi alimen-

Conditura salis cómoda

men-

mentis terreat, cùm ait: Ex caseis omnibus crassus est succus, insuperq́; ex vetustis malus: recenter autem coactos, prima mensa ad aluum ducendam manducare licet cum melle: nam, inquit, & minùs crassus est quàm veterum succus, & nullo pacto malus. Proinde Philippe, nihil horum incommodi veritus, liberè vescere caseo recēti, salis momēto temperato: qui lactis bubuli, aut caprini dulcorem resipiat, à vetustatis acore alienus, confisus Hippocratis, Apollinis nostri, oraculo, quo ait: Paulò deterior cibus aut potus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus est præferendus. Hactenus Langius.

Casei salubris cōditio.

Aphorismo 38. Sectionis 2.

Cæterùm vt à calumnia quorundam & noxæ infamia caseum vindicarem, sequētes versiculos ex Salernitarum Regimine ad Anglorum Regem huc transferre opportunum ac iucundū esse duxi, vbi caseus hunc in modum conqueritur:

Ignari medici me dicunt esse nociuum:
Sed tamen ignorant cur nocumenta feram.
Qui Physicam norunt hæc de me testificantur,
Optima post epulas caseus esca datur.
Rursus, opem stomacho languenti caseus adfert,
Si post extremas incidat ille dapes.

Et alibi,

Caseus & panis bonus est cibus, herculè, sanis:
Si non sunt sani, non iungent hunc bene pani.

Si cui arridebunt fercula, coci industriâ ex caseo confecta, præter Apicium & Athenæum, Platina in libro de honesta voluptate illi abundè satisfaciet. Hæc satis pro Caseo.

OPVSCVLVM DE SENA, PLANTA INTER OMNES, quotquot ſunt, hominibus beneficentiſsima & ſaluberrima.

AVTORE ANTONIO MIZALDO MONLVCIANO, MEDICO.

SPECTATAE VIRTVTIS ET ERVDITIONIS VIRO, *IOANNI LE CHARON*, Lutetiæ in Curia Vectigalium Præſidi, & Pariſienſium Mercatorum Præfecto, ANTONIVS MIZALDVS medicus, S. D.

PRAECLARA & memorabilis illa de Quintio Cincinnato Hiſtoria, cui, vt ſcribit Plinius, quatuor ſua iugera in Vaticano aranti [quæ erant, Columella teſte, auitum eius hærediolū] Viator, nihil tale expectanti, Dictaturá attulit, & trepida ante boues, vt canit Perſius, Dictatorem induit vxor: illa, inquam, hiſtoria, mihi ob oculos ponit, Præſes ſpectatiſsime, nuper tibi oblatam & adlatam Pariſiēſium Mercatorum, vt vocant, Præfecturam, qui ſummus eſt ciuium & populi magiſtratus. Nam cùm tu nihil tale expectares, potioribus ciuium & minorum vrbis magiſtratum ſententijs & ſuffrágijs, ad id faſtigij ſelectus & vocatus es. aſſentiente & ſuffragia probante Chriſtianiſmo Rege CAROLO, cui placuiſſe, nō vltima laus eſt. Quod factum, ſimul ac fama mihi nunciauit, ſtatim animum meum

meum tanta inuasit lætitia, vt prorsus dubitarem cuinam gratulari deberem: tibine, cui tam insignis dignitas contigerit, an vrbi quæ talem habitura sit Præfectum, an Regi, qui tantum suis ciuibus & Parisiensi populo præfecerit Nestorem, an potius mihi qui tibi sum amicissimus, & ob id fortunarum tuarum particeps fieri debeo? si quidem vera sunt quæ Pythagorici tradunt, πάντα φίλων κοινά· καὶ, φίλον ἕτερον αὑτὸν εἶναι. Si quid, mihi crede, in rebus meis esset vnione vel candidius, vel preciosius, ego hac nota libétissimè signaré eum diem, in quo non lubrico exoculatæ Deæ fauore, sed tribuum, & optimatũ Vrbis, concordi calculo, gratoq; Principis assensu, eo magistratu, bonis, vt dicunt, auibus inauguratus es. Quod fœlix faustumq; sit precor & opto. Nõ etenim ignoras quanto cum onere, nedum honore, illa prouincia, hoc præsertim tempore, tibi obeunda sit. Verũ enimuerò, qua es modestia, virtute & prudentia, quam nactus es Spartam, circunspectè, & Dei Opt. Max. præsidio, inculpatè, reges & adornabis. Quod reliquum est, vt nouo aliquo munusculo, nouum hunc magistratum tibi gratularer, visum fuit, ceu palã testato animi mei gaudio, in tuo nomine publicare, & tibi officiosè deuouere Opusculũ hoc de Sena, planta inter omnes, quotquot sunt, hominibus beneficentissima & saluberrima: vt quod medicorũ est promittãt medici, & tractent fabrilia fabri. Quale quale est Opusculum, de eo dicere haud quaquam dubitem quod de philosophiæ studio scripsit Horatius,

Aequè pauperibus prodest, locupletibus æquè:
Aequè neglectum, pueris, senibusq; nocebit.

Illud itaq; placidè, pro tuo candore, excipere, & in μνημόσυνον meæ erga te non vulgaris & veteris amicitiæ habere digneberis. Quod factũ si intellexero, nõ solum conatus meos ad meliora promouebis, sed & me ipsum tibi deditissimũ semper habebis. Verũ hæc satis, præsertim apud eũ cui Populi commissi, & magna negocia curæ. Fœliciter itaque vale, Præses æquissime, & Præfecte vigilantissime,

in

in eo qui omnium valetudinem & salutem in manu habet: cuius immensa bonitas, & te, & eximium socerum tuum in regiarum rationum collegio, vel, vt loquuntur, Computorum Camera Magistrum, mihi semper & vnicè colendum, diu Reipub. incolumes custodire dignetur. Lutetiæ, Calendis Septembr. Anno Christi, 1572.

IOANNIS DECVLLANT MONLVciani, in Senatu Parisiensi Aduocati, Ode dicolos tetrastrophos ad Ant. Mizaldum cognatum cariss.

Næ, MIZALDE, vides quòd celeres citò
Anni diffugiunt, atq; dies boni:
Noscis quid valeat sudor, & ocium
Quàm sit triste malum nimis.

Præclarè ergo facis dum vegetum viget
Iam nunc ingenium, & firmus adest calor,
Scriptis velle tuis noscere posteros,
Te vixisse nepotibus.

Debent multa tibi docta μαθήματα,
Debent ἰατρικῆς scita salubria,
Nam cunctis aperis quæ preciosa sunt
In his, ingenuè, artibus.

Non ingrata ferent sæcula gratiam
Posthac: & Dominus qui colit vnicè
Doctos, atq; bonos, ne dubita, tibi
Mercedem dabit optimam.

ἐκ πόνου τὸ κλέος.

DE SENA, PLANTA INTER *OMNEIS QVOTQVOT SVNT*, HOminibus beneficentisſima & ſaluberrima, Opuſculum, Autore ANTONIO MIZALDO Monluciano, medico.

QVIA nullum hodie purgans medicamentū ſimplex tam frequēs habetur in ore & opere, non dicā vniuerſo medicorum ordini, ſed etiā omni ferè populo, quàm Sena: idcirco preciū operæ facturū me putaui, ſi illius hiſtoriā, vſum, facultates & præſtantiſsima auxilia à Græcis medicis, Arabibus & Latinis fideliter accepta, & hactenus magno mortalium commodo probata, hîc, pro mea tenuitate, paucis perſtringerem. In eorum maximè gratiam, qui vel medicinæ non ſunt initiati, vel alijs ſtudijs & occupationibus ita ſunt diſtracti, vt medicorum libros eis legere non liceat. Venio itaq; à verbis in rem.

Nullum medicamētum Sena popularius.

Quibus ſcribatur hoc Opuſculū.

Quibus nominibus vocetur Sena apud varias gentes. CAP. I.

PLanta, Græcorum medicis iunioribus (nam antiquiores eam ignorarunt) σίνα, vt etiā Latinis nuncupata, vel, vt Hermolao placet, Senna, Gallis Sené, Germanis Senet, Hiſpanis Sen d' Alexandria, & Italis Sena, Aphricanis, Arabibus, ac Mauritanis medicis, Sene, Perſis, teſte Damaſceno Meſue, Abalzemer, patrio vocatur nomine.

Senæ variæ & gentiū nomina.

Senæ

Senæ descriptio, pictura & delineatio.

CAP. II.

Senæ delineatio ex And. Matthiolo, in 70. cap. 3. lib. Dioscoridis.

SENA herba est folijs constans glycyrrizæ, subpinguibus & crassis, caule cubitali, è quo flexiles lori modò exeūt ramuli, flores illi adsunt aurei, veluti brassicæ, purpureis venulis intercursantibus: quibus falcati succedūt folliculi, tenui pediculo è ramulis pendentes: adeóq; naturâ cōpressi, vt inferior membrana superiori adhæreat. Maturescentes, impetu ventorum facilè deturbantur, contento intus semine quod ex nigro subuirescit & vuarum vinaceis vsq; adeò simile habetur, vt nō facilè alterum ab altero, prima oculorum obseruatione distingui possit. Serapio Arabs medicus, lunatas siliquas & oblongas illi ascribit: in quibus semina per ordinē digesta clauduntur, & ab opilionibus, impinguandis ouibus, vbi deciderunt, diligenter leguntur. Planta hæc frigoris summè est impatiens, vnde Maio mense debet seri: nec vltra Autumnum viget. Priùs sata facilè perit, seriùs, hyemem non sustinet.

Serapio in libro de simplic. medicamentis.

Senam non esse eandem cum Colutea, & de vtriusq; discrimine & pictura.

CAP. III.

Libro 3. cap. 17. de platarum historia

FAlluntur qui arborem eam quā Theophrastus Coluteam appellat, Senam esse ob id arbitrantur, quòd folliculos habeat saginādis ouibus à pastoribus summè expetitos, vt de lunatis siliquis Senæ, paulò antè scripsisse diximus Sarapionē: Verùm id discriminis inter vtramq; intercedit,

cedit, quòd Colutea vocata, arbor sit & non herba. Cuius descriptionem, qualem ex ipsa arbore mihi licuit in quodam horto amœnissimo excipere, hîc proponere nõ grauabor. Itaq;, Colutea arbor est, in hoc Parisiensi agro, vt etiam in alijs frequens: De cuius stipite prodeunt rami quamplurimi, surculos admodũ tenues ac flexiles hinc inde spargentes, è quibus exeunt folia, fœnograeco, vel glycyrrhizæ non multũ dissimilia, ęquali vtrinque serie, & numero (vbiq; ferè vndenario) perbellè discreta, sed sub autumnum flauescentia, leuique ventorum agitatu, vel aliter, cum suis surculis cadiua. Ex eorum alis, maximè ad ramorum cacumina, suo tempore emergunt virgulæ quædam, agnata dicas, folijs vbique viduę: quæ summa & extrema sui parte, flauos & aureos diffundunt flores: singulos alicubi, binos alibi ternos, quaternos, & quinos, vel plurimùm senos glomeratim. Qui, genistæ modo, in falculæ vireaticæ & lunulæ, aut scirpiculæ formam paulatim desinentes, totidem vesicularum, quot illi fuerunt, rudimenta exprimunt. Quæ quidem vesiculæ, ex pediculo admodum fragili, sigillatim pendulæ, in ventrem et carinatum gibbum pedetentim excrescunt: viridi primùm & herbaceo colore, tum demum subrubescente & rufo. In ijs pars carinata, gibba & cõuexa, neruo, ceu septo quodam oblongo, & veluti diaphragmate, in duas parteis dirimitur, æquè ac sima & cõcaua: re vera peram pastoralem, vel piscatoriã nauiculam esse dicas, sese hinc inde proferẽtibus à cauda & capite, ceu à prora & puppi, quibusdam appendiculis, quæ ligamentorum vicem ac modulum præ se ferunt. Dictæ vesiculæ, vel, si ma-

Coluteæ delineatio ad vnguem expressa.

Flores Coluteo, & ex ijs folliculi, & vesiculæ.

Vnde distendantur colutea folliculi. si mauis, vtriculi & folliculi crescentes, vsque adeò distenduntur & pellucent, vt immisso flatu, quis factum fuisse non temerè sibi persuadeat: Cùm tamen natura, non arte id fieri certò constet, spiritumq; distendentem ibi inesse palam arguat crepitus erumpens vbi pedibus vel manibus, aut aliter, instar vesicularū in piscibus premuntur. Membranei huiusmodi folliculi tandē flaccescunt, semina includentes ad rectam lineam miro ordine vtrinque digesta, parua, & vbi maturuerint, atra ac rotunda, lentis effigie. Sed in Coluteæ pictura & descriptione versatum satis. Quod ad plantam Senæ attinet, non habeo quod in præsentiarum de illius historia & delineatione aliud proferā, quàm quod paulò antè ex Andrea Matthiolo dictum fuit. Capite præcedente. Nam hactenus viuam & in sua radice vigētem herbam videre mihi non licuit. Vt vt fuerit, in eo discrepat Sena à Colutea, quod presis & lunatis, sic satis, folliculis siliquetur, qui nec turgent nec distendūtur ac pellucent, vt in Colutea: & semen, vt scripsimus, includunt, vuarū vinaceis & granulis sanequàm simile. In quo differat Sena à Colutea. Quibus addes, quòd Sena paucorum mensium est herba: Colutea verò multorum annorū arbor, semine & ouillo fimo præcipuè nascés, vt tradit Theophrastus: Quo etiam autore, seri debet sub Arcturi occasum præmacerato semine, & cùm in aqua pullulare cœperit. Cæterùm & si Colutea Alexandri Magni ætate non temerè alibi quàm in Lipara nascebatur, iam diu tamen in Gallia multis vt diximus locis viget, ac nomine *Baguenaudier* omnibus innotescit. Errant itaque, meo iudicio, qui ei facultates omnes innoxiè tribuunt, quas vna Sena sibi peculiariter vendicat. Facultates Senæ non conuenire Coluteæ.

Nam

Nam præter quàm quòd vomitiones, non secus quàm genistæ semen, promouet: Colutea, etiam ventriculo summum negocium facessit, & tormina multa excitat: necnon flatus & intestinorũ rugitus: Quorum omniũ expers est Sena, vt paulò pòst ostendemus.

Quibus partibus suæ plantæ sit præstantior, efficacior, & purgantior Sena.

CAP. IIII.

SCribit Ioannes Mesues Damascenus, in Arabicorum medicorum collegio summus et celebris, Senam folliculo quàm folijs efficaciorem esse, præsertim si is ex viridi nigricet, sit modicè amarus, absolutus, subastringens, recens, & semẽ continens amplum ac pressum, nam vetustate exanimatur. Qui subalbidus est folliculus & imperfectus, non probatur: folia viridia sunt præstantiora subalbidis, & crassa tenuibus, surculi verò inutiles. Hactenus Mesues. Qui, vt audiuisti, Senę folliculos in deijcienda aluo, folijs lõgè efficaciores ac præstantiores facit: reclamante, non dicam Manardo Ferrariensi, sed etiam diuturna & assidua medicorum experientia: etsi Brasauolus, qui Mesuem tueri videtur, cõtrarium sentiat. Actuarius filiquoso fructu, à Barbaris vocato, vti videtur. Andreas Matthiolus suis in Dioscoridem doctissimis Commentarijs, hanc cõtrouersiam, sanequàm rectè, mea sententia, ad hunc modum componere satagit: Sciendum, inquit, quòd Senę folliculi qui siccati asseruantur, duorum sunt generum. Vnum per se caducum, & in sua plantá arefactum, à quo semẽ eximunt nigrum & prorsus euanidum: Huic nullas, vel saltem paruas facul-

Lib. 2. de medicam. simpl. purgantibus, cap. 15.

Senæ folliculi & folia.

Lib. 3. ca. 70.

Senæ folliculi duorũ generum.

cultates tribuūt. Alterum, ante maturitatem demetitur, crassum, ponderosum et succo prægnās: Quod tegetibus expansum, in vmbra venundandum exsiccatur. Huic, inquit Matthiolus, sicuti millies periculum fecimus, non minor vis deiectoria inest, quàm folijs. De eo itaque sensisse videtur Mesues. Cui de experimēto subscribit idē Matthiolus, affirmans se aliquando integrum Senæ campum seuisse (quales in Hetruria, & præsertim in Florentino agro quamplurimi visuntur) vt illius folliculos virentes & succi plenos decerperet: mox siccatos experiretur: num eadem vis eis inesset quàm folijs: quod tandem ita esse facilè agnouit. Qui itaque folliculis commodè & salubriter vti voluerint, Matthioli exemplo, Senam serant vt illos & optimos, & recentes in manu habeant, vel saltem probatissimos emant, si tamen eiusmodi reperiri poterūt: si minùs, folijs vtantur selectis, vt passim fieri solet. Nam hodie nullum ferè præscribitur repurgans medicamentum, quod illorum misturam non admittat. Non temerè itaque Manardus Senæ folia, folliculis caducis et arefactis purgantiora esse sustinuit. Ioannes Fernelius in omni parte medicinæ, citra controuersiam, summus, Mesuem & Arabes sequutus, Senæ folliculos folijs anteponit. Cui Iacobus Syluius sanequàm libenter subscribit: vtcunque fuerit, nam vnguem non verterim, qui folliculis vti volet, quales antè scriptum fuit sibi comparet: cui verò folia magis arridebunt, recentia & ampla seligat, à quisquilijs, paleaceis sordibus, & surculis, quibus scatet diligenter repurgata: in quo Pharmacopæi plærique oscitanter, ne dicam turpiter, pecca-

Experimentū Matthioli de senæ folliculis & folijs.

Folia senæ in vsu frequenti hodie esse.

Cap. 10. lib. 5 Meth. med.

Comment. in cap. 15. lib. 2. de med. simpl. Mesuę

Pharmacopœorū quo-

peccare mihi videtur, dum indiscriminatim omnia, vel coquendo, vel macerando confundunt. rundã error. vel potius negligentia.

Senæ bonitas, electio & præstantia.
CAP. V.

Quod attinet ad bonitatem & excellẽtiam Senæ, ea præstare fertur quæ ex Alexãdria Aegypti, vel Syria adfertur. Hanc enim summis laudibus tam Latini quàm Græci medici iuniores efferunt. Iacobus Syluius, Indicam & Aegyptiam valẽtiorem esse scribit parte media quàm sit Appula & Ligustica: & rursus postremam nostrate Colutea: quæ, vt diximus, falsò & perperàm pro legitima Sena à multis vsurpatur. Vtra verò præstantiora sint, folia an folliculi, paulò antè disputatum est. Syluius loco paulò antè citato.

Quo pondere & modo exhibeatur Sena, Arabibus, Græcis, ac Latinis Medicis.
CAP. VI.

SERAPIO Senæ tritæ ceu puluerata drachmã vnam, coctæ verò semunciam, vel drachmas quinque imperat. Mesues infundit ab aureis tribus, hoc est, à semuncia, vel drachmis quatuor cum semisse, ad vnciam vnam. Ex Græcis vnus Actuarius, pulueris exhibet drachmam vnam: in decocto verò semunciam. Ioannes Fernelius dat pulueris ad drachmas duas, decocti à drachmis tribus ad drachmas sex: diluti verò ab vncia dimidia, ad vnciam vnam. Quæ omnia ad sumentium naturam, & medicandorum vires, ætatem, corporis habitum, sexum, & alios scopos, prudenter sunt referenda & coaptanda. In libr. de simpl. medicamentis. Libro & cap. anteà notatis.

Facultates & probata Senæ præsidia, ex Græcis medicis. CAP. VIII.

Quibus morbis succurrat Sena, ex Actuario medico græco.

ACTVARIVS, qui solus inter Græcos medicos, quantum extat, Senæ vires descripsit, memoriæ mandauit illam & bilem, & pituitam, denarij pondusculo deijcere, absq; vlla corporis & facultatum eius noxa & molestia: Secundùm hos humores, retorridam, atrámque bilem, etiã modestissimè purgat, & illarum suffusiones ex gallinaceo iure clementer expellit. Insuper vetusto capitis dolori, scabiei, comitialibus, & impetigini succurrit, sed modicè feruefactæ Senæ iusculum, potius quàm tritæ farina propinatur: internas etiã obstructiones reserat.

Facultates & auxilia Senæ, ex Arabibus medicis. CAP. IX.

Libro 2. purgantiũ medicamẽtorum simplicium, cap. 15.

IOANNES Mesues Damascenus, de Senæ facultatibus & præsidijs ad hũc scribit modum. Sena terget, expurgat & digerit: ob id melancholiam & bilem vstam à cerebro, sensorijs organis, pulmone, corde, hepate & liene deijcit. Proinde morbis dictarum partium ab humore huiusmo di proficiscentibus succurrit, vt melancholicis febribus & antiquis. Gaudiũ gignit, sublato humore absque causa externa tristante, & floridum corpus efficit, obstructionesq; viscerum aperit. Decoctum foliorũ eius & chamæmeli, neruos ac cerebrum lotione roborat. Eadem quoque Sena, modo quouis vsurpata, visum & auditũ firmat. Cuius purgatio si tarda fuerit & imbecilla,

Quonam modo iuue

mustis

mistis acribus celebrabitur: vt Zinzibere, sale gemmeo, sale Indo, & similibus. Ne verò stomachum lædat, cardiaca & stomachica ei sunt miscenda, & largo pondere ex iure galli, gallinę, vel aliarũ carnium coquenda, vt citra molestiam purget: vel serò lactis infundetur cum spica, deinde parum diu feruebit. aut puluis foliorũ eius ex lacte dulci sumetur. Sunt qui decocto eius cum prunis & spica fœliciter purgent. Cæterùm mediocrem sustinent coctionem. Hactenus Mesues. tur & accelerettur senæ purgatio. Quibus misceri gaudeat Sena.

SERAPIO Arabum Medicus, hæc de facultatibus Senæ, posteritatis memoriæ reliquit. Sena mirificè prodest delirio, amentiæ, scissuris totius corporis, resolutioni neruorũ, phthiriasi, cephalalgiæ, scabiei, pustulis, pruritui & epilepsiæ. Cor etiã roborat modò ijs commisceatur medicamentis, quæ ipsum maximè confirmant. In lib. simplicium medicament.

Quibus succurrat morbus Sena, & quæ præstet auxilia hominibus, ex Latinis medicis, CAP. X.

IOannes Fernelius Senam & eius auxilia his commendat verbis: Sena melancholiam retorridam, nec non bilem, & crassam pituitam commodissimè purgat: non statim è distantioribus locis, sed præcipuè è liene, deinde etiam ex alijs visceribus, ex hypochondrijs & mesenterio: in quibus est omnis eluuiej sentina. Ex ijs enim sedibus vix aliud quidquam æquè validè corruptos humores prolicit, aut obduratos tumores euacuat, aut in tenues venas subiens, veteres earũ obstructiones expedit: neque tamen vicinas hydro- Libro & loco prius citato. Quas corporis partes maximè repurget Sena.

Mira Senę præsidia.

dropicorum aquas detrahere potest. Diuturnorum atque lentorum morborum, quos viscerum impuritas, aut vetus obstructio genuit, singulare est præsidium: vt lentarum, veterumq́ febrium, melancholiæ, epilepsiæ, scabiei, impetiginis, vitiliginis, elephantiasis, & omnis deniq; impuritatis,

Senam flatulentam non esse.

Sensus pariter exacuit, cor exhilarat, torsionibus sæpè molesta: non quod flatulenta sit, sed quòd firmiter hærentes humores, & plerunque acres, nequeant sine sensu doloris auelli. Nunquam tamen deprehensum est, vel intestina corradere, vel sanguinem proritare: blandè alioqui, sed tamen lentè purgans: nulla qualitate infensa, nisi quòd

Senam prægnantibus non esse aduersam.

ventriculo aliquantùm grauis: pueris, ac senibus vtilis, neque prægnantibus aduersa. Permiscēda ei sunt quæ ventriculum roborent, simulq́ tardiorem vim extimulent: cuiusmodi sunt Zingiber

Quænam misceri senæ cōueniat.

cinnamomum, aut spica: & quæ leniendo, sine torsionibus, facilè deducant. Qualia sunt iura pinguia, pruna, iuiubæ, vuæ passæ, viola, althea, polypodium: & qui ex his fiunt syrupi.

Comment. in cap. 15. lib 2. Ioan. Mesuæ.

IACOBVS Syluius de Senæ auxilijs in hūc scribit modum: Sena folliculis latis, sed falcatis, & in his semine, vtilior purgando humori melācholico & morbis ab eo pendentibus & prodeuntibus. Multis torminosa est, alijs clemens, pro varia sumētium natura. Tutiùs tamen est mastiche, vel caryophyllis, & alio (vt cinnamomo, semine anisi) corrigere: folijs non est inefficax. Veteribus omninò indicta est planta.

MANARDVS Ferrariensis se expertum dicit, Senam præter iam dicta, & contra Auerrhois sententiam, pituitā etiā purgare: ex Actuarij Græci medici, vt antea monuimus, opinione & experimen-

fimento. Ad hæc, valere aduersus luem Hispanicã: Aquas etiã purgare sæpenumero visa est. Senã valere aduersus luẽ hispanicam.

ANDREAS Matthiolus Dioscoridis interpres ad vnguem factus, de Sena hæc ex multis tradit: E nostrate Sena, inquit, adhuc in agro virente, & rosarum diluto, ego quotannis syrupum parare consueui, qui tutò & large omnes purgat humoras. Datur& commodè prægnantibus, ac pueris, & cuiuscunque ætatis hominibus. Dilutũ tamen magis præstat, quàm decoctum: quia nulla ex parte exhalat. Cuius vnciæ quinq;, vel sex, aluum absq; molestia soluunt. Quòd tutò dari possit prægnantibus & pueris, experientia docuit: cui suffragatur Actuarius, Senam citra noxã purgare tradens. Redditur medicamentum hoc in deijcienda aluo præstantius atque valentius, si cassia nigra, aut manna, aut rhabarbaro, aut rosarũ dilato, aut rhodopharmaco, quod officinæ syrupum rosatum solutiuum vocant, commisceatur vocant, commisceatur: aut si maceretur Sena caprino sero. Viscerum obstructiones aperit, auget iuuentutem, senium retardat, animi hilaritatem adfert: & plæraque alia commoda præstat: de quibus anteà. Commen. in cap. 70. lib. 3. Dilutũ Senæ præstare eius decocto. Quænã addẽda vt aluum valentius deijciat Sena.

Compositio præstantissimi diluti è Sena, eodẽ Andr. Matthiolo præscribente.

Caput XI.

SVmantur foliorum electissimæ Senæ drachmæ sex: Zinziberis, aut cinnamomi contriti, drachma vna: florum buglossi, drachmæ duæ: misceantur omnia, & fictili vitreato, aut stanneo vase angusti orificij excipiantur: affusisq; feruentis aquæ, vel seri caprini, vncijs decẽ, vasis osculũ adeò occludatur, vt nullus omnino spirandi pateat Efficacissimũ dilutũ è Sena & eius compositio.

teat exitus. His peractis, puluinari plumis anserinis farcto, igniq; calefacto vas inuoluatur, & in arca vbi pernoctet, reponatur. Sic enim calore seruato, omnem in se facultatem dilutum recipiet, & summè efficax habebitur ad omnes paulò antè memoratos affectus, absque vlla molestia & corporis noxa.

Vinum è Sena medicatum, ex Ioanne Mesue. CAP. XII.

Lib.2.cap.15. Vino musteo albo, inquit Mesues, miscebat quidam vim magnam Senæ, post tres menses potandum dabat: sicq; purgabat cerebrum & sensoria organa, nec non gaudium augebat, ac lætitiam.

Si quis alias formas componendi huiusce vini medicati, & aliorum item quorumcunq; scire cupit, legat quæ haud ita pridem à nobis scripta sunt, in Opusculo de varijs artificijs & facili methodo componendorum oleorũ, radicũ, fructuũ, vuarum & vinorũ, quæ diuersis morbis iucũdè, & absque vlla noxa clementer succurrant: illic inueniet quod didicisse iuuet.

Hæc sunt quæ in præsentiarum de Senæ viribus & præstantia scribere visum fuit. Cuius πολυχρήστατα auxilia qui attentè obseruabit, illã, reuerà, non amplius Senam, sed Sanam herbam κατὰ μετωνυμίαν, καὶ συνεκδοχικῶς perappositè nũcupabit. Fruere, Lector optime, & ꝓpicio cælesti illo Aesculapio (sine quo est omnis medicina venenum) fœliciter vtere: vt sano, è Sena, sit mens in corpore sana.

FINIS.

C182333 83

i12403215

83

192